





BASILII ZANCHI IN IIII. REGVM, ET II. PARALIPOMENON LIBROS QVAESTIONES AD HIERONYMVM SAVLIVM ARCHIEPISCOPVM BARIENSEM.

EIVSDEM HEROICIS VERSIBVS LIB. II. DE HORTO SOPHIAE AD PETRVM BEMBVM CARD.







BASILII ZANCHI IN PRIMVM REGVM LIBRVM QVAESTIONES AD HIERONYMVM SAVLIVM ARCHIEPISCOPVM BARIENSEM.



Omplures, Hieronyme Sauli, sancti, & religiosi, ac Diuino spiritu afflati Prophetæ, id est Oraculorum interpretes, quiq; futura præuiderent, atq; prædicerent extitere; quorum nulla constant scripta, nomina uero ex Paralipomenon historia colliguntur. Horum quisque quæ suis temporibus accidebant scriptis mandare consueuit. Primus itaque Regum, siue Regnorũ liber tum apud Hebræos, tum etiam apud Syros Samuelis prophetia nominatur; id quod quiuis qui librum illum legere uolet perfacile intelligere poterit. Hi igitur qui Regum libros conscripserunt ex illorum prophetarum uoluminibus argumento sumpto historiam eam longo post tempore

literis consecrarunt. Qui enim fieri potuit, ut is qui regnante Saule, aut Dauide floruerit, ea quæ sub Ezechia rege, aut Iosia acciderunt, & Hierosolymæ obsidionem, Iudaicum denique populum captiuum in Assyrios, & Babylonem ductum posteritati commendarit? Hinc itaque manifesto colligere potes, unumquemque sanctorum Vatum ea literis consignasse, quæ suis tẽporibus, ut antea diximus, acciderunt: quosdã uero alios ea studiose collegisse, et Regũ libros confecisse: alios autẽ historiæ scriptores ea, quæ ab eis relicta erant, scriptis tradidisse; uolumenq; à se scriptum Paralipomenõ, hoc est Relictorum appellasse: utpote quod ea, quæ in Regum libris prætermissa erant, contineret. Ad horum itaque librorum explanationem, Hieronyme Sauli, cuius authoritas magna quidem apud omnes, in primis uero apud me grauis esse debet: te hortatore, atq; impulsore aggredior: eamq; iustis de causis ad te mitto. Hæc autem omnia quæ mihi ad suscepti operis propositũ pertinere uidebantur, ex Theodoreti Cyrensis Episcopi monimentis uerbis ad nostram consuetudinem aptis conuersa sunt: ita tamen ut illum imi-

tati potius, quã interpretati ſimus. Cui quidẽ uiro præter excellentem in omni omnium bonarum doctrinarum genere cognitionem, in explanandis diuinæ Philoſophiæ libris inter authores Græcos ſecundum Iohãnem Chryſoſtomum (hunc enim ſemper excipio) primas (bona aliorum uenia dixerim) deferendas puto.

Quæſtio prima.

QVARE Elcana duas uxores habuit? Quemadmodum Lex duas pluresuè uxores ducere non mãdauit; eadem ratione neq; prohibuit. Id ſanè quod minus malum erat permiſit; ut maius fugeret, ac declinaret. Lex enim pro uiribus eam accipientium moderatiſſime conſtituta eſt; quemadmodum & diuinus Apoſtolus ait. Nihil ad perfectum adduxit Lex. Cap.i. Hebr. vij.

Q. II.

„Quid ſignificat, Concluſerat Dominus uuluam eius? Hiſce uerbis unumquemque lectorem docet ne matrimonio fidat: ſed ab omnium rerum effectore opem, auxiliumq; imploret. Vt enim Agricolæ eſt ſemina terræ mãdare, Dei uero illa perficere: ſimili modo matrimonij maxime proprium eſt cõ

municare, Dei autem naturæ ipsi assentire; & animans ipsum formare. Id quum Anna optime sciret (quamuis enim longo tempore uiro suo coniuncta fuisset, nullum tamen ex eo fructum perceperat) ad ipsum omnium rerum opificem confugit: & sollicita prece, ac lachrymis læsam uuluam curauit, clausamq; aperuit, ac patefecit.

Q. III.

Heli Pontifex ex qua familia natus est? Ex familia Ithamar: sed ob filiorum ipsius prauitatem uniuersum illius genus maxima ex parte sacerdotali honore, ac dignitate priuatum est: quot enim nefaria scelera ausi sint historia docet.

Q. IIII.

Cur Samueli adolescentulo Vniuersitatis parens sese ostendit? Vt Pontificem iam grandem natu reprehenderet, adolescentulo apparere Deus se indignum non putauit. Huiuscemodi itaq; ætati Deus canos posthabuit: eumq; qui octo & nonaginta annos natus erat, & per quadraginta duplici honore ac dignitate dignus habitus fuerat (Iudicis nanque atq; Pontificis officio ac munere functus est) omittens, cum ual-

de pusillo puero colloquium fecit: nempe ut doceret: quanto melior canitie sit adolescentia, ac tenera ætas uirtutibus prædita, atque ornata.

Q. V.

Quæ causa fuit, cur Deus arcam bello capi permiserit? Duplicem utilitatem hoc factum attulit. Hebræos enim docuit, eos qui secundum legem uitam agunt Diuinæ prouidentiæ, eos uerò qui legem uiolant, externis rebus haud quaquam fidere debere. Cap.iiij

Q. VI.

Quid est quod Heli pœnas pro filijs expẽdit, quũ ea quæ illos decerẽt eos admonuerit? Nõ mollibus medicamentis filiorũ flagitia indigebãt, sed maximè acribus, et austeris. Oportebat nãq; post unam atq; alteram admonitionẽ in sua prauitate pertinaciter cõsistẽtes è sacris claustris expellere, atq; exturbare. Neq; enim ipsi tãtũmodo legẽ uiolabant; uerũ etiã alijs à lege discedendi exempla præbebãt: sed quia naturã omniũ rerũ cõditori antetulit, Diuino præsidio ac gratia nudatus est. Hoc ipsum nanque per Prophetam Dominus sic declarauit.

,, Quare calce abiecistis uictimam meam, & mune
,, ra mea quæ præcepi ut offerrentur in templo, &
,, magis honorasti filios tuos quam me, ut comedere
,, tis primitias omnis sacrificij Israel populi mei? et
quæ sequuntur.

Q. VII.

Deuter. xij. xiiij xvi. Cur quum Deus præceperit in lege, ut uno in loco rem Diuinam facerent; Samuel tamen aram Deo consecrauit? Nondum Diuinum Templum extructum erat; & uarijs, atq; diuersis in locis rem Sacram peragebant. Cæterum hinc quoq; discere licet, quod quum Deus Iudaicum populum ad impietatem propensum sciret, Diuinum cultum uno loco circumscripsit. Pijs namq; hominibus, & legis sensum ac uoluntatem probè callentibus quiuis locus ad Deum colendum consecratus erat. Helias iij. Reg. xviij. nanq; ille magnus, quum Diuinum Templum ad se omnes uocaret, in Carmelo tamen monte aram erexit: ibique sacrificium Deo fecit.

Q. VIII.

cap. viij Quid est quod Samuel filijs eius legem uiolantibus pœnas non soluit? Iniustè non impiè sese gerebant: neq; enim matrimonij uincula rumpebant: at

que id genus libidinosis facinoribus Diuinum tabernaculum polluebant: neq; uitio uentris ac gutturis Sacrificiorum ordinem perturbantes in primis operam dabant. Historia tantummodo illos accusat, quod munera acciperent. Quæ quidem omnia patre Propheta inscio gerebantur: longe enim ab eis uitam agebat: Ipse namq; Armathaim, illi uero Bersabee habitabant.

Q. IX.

Cur Samuel ob petitum à populo Regem dolore affectus est? Quia præter Diuinam legem ea petitio fuit: summus enim Rector & Dei, & Regis pariter officio fungebatur: propheta uero Dei minister erat, ueluti Legatus, aut belli Dux, aut Reipub. Administrator. Id quod planè Deus declarauit, quum illum affatus est. Audi uocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abiecerũt, sed me; ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto, usq; ad diem hanc, & quæ sequuntur.

Q. X.

Non desunt qui dicant, Samuelem pecunia adductum uaticinatum fuisse, eò quod dixerit Saul, Cap. ix.

,, Ecce ibimus: quid feremus homini Dei? Panis
,, enim defecit in uasis nostris. Id uerò Saulem rem hanc suspicatum, non Prophetam munerum amantem fuisse declarat: suspicatus nanque est Samueli ut Prophetæ, ac Principi aliquid iure ac merito afferri debere: uerum ille nihil attulit: sed è contrario benignè admodum à Propheta acceptus est. Quod uerò Propheta ille munera non acciperet, uerba ipsius, quæ ad populum habuit,
,, abundè declarant. Loquimini de me coram Do-
,, mino, & coram Christo eius, utrum bouem cuius-
,, quam tulerim, aut asinum: si quempiam calumnia
,, tus sum: si oppressi aliquem: si de manu cuiusquã
,, munus accepi: & contemnam illud hodiè, restitu-
,, amq; uobis. Quæ quidem Prophetæ uerba populi testimonium uerissima esse comprobauit.

Q. X I.

Vt quid multa signa illi dedit? Dubitantem illũ ac domesticam tenuitatem confitentem animaduertit; quum diceret. Nunquid non filius Iemini ego
,, sum, & de tribu Israel, & cognatio mea nouissi-
,, ma inter omnes familias de tribu Beniamin?

Q. XII.

„ Quid significat, Immutauit ei Deus cor aliud? Quia agrestis tantum erat, agri colendi tantum modo peritus; quum illum ad Regnum elegisset, regium illi cor dedit.

Q. XIII.

„ Quid sibi uerba illa uolunt, Cessauit autem Prophetare? Perpetuam Prophetiæ gratiam minimè habuit: sed, ut Diuini muneris indicium daret, eo tempore uaticinatus est. Eadem ratione Septuaginta Seniores, quos magnus elegerat Moses, mox ut electi fuerunt Vaticinandi munere digni habiti sunt; & quæ in dubiũ uocabãtur, explicarũt. postmodũ tamẽ uaticinari desierũt: ut lxx. Int. placet. Nu. ij.

Q. XIIII.

Quare Samuel quum Saulem unxisset, & ab uniuersarum rerum auctore Deo audisset, quod ad Regnum eligẽdus esset, sortem mittere tribus iussit? Diuinis Prophetis fidem minimè habebant ij qui malè, prauè, nequiter uitam agebant. Ne igitur id humano potius quàm Diuino suffragio fieri suspicarentur; sortes mitti mandauit. Deinde quum Tribui Bẽiamin sors exisset, et rursũ Tribus illa Cap. ix.

in familias, ac domos, & uiros diuisa esset, Sauli Regnum sorte obuenit: qui quum latere tentaßet (potestatem namq; illam supra conditionem, dignitatemq; suam eße uidebat) prophetæ à Deo ostensus, & totius populi Rex electus fuit.

Q. XV.

Quid est quod Deus Saulem Israelitis primum Regem dedit? Propterea quod Regem sibi à Deo dari petierant, non ut ab eo in Diuinarum rerum cognitione, ac cultu erudirentur: sed ut Ducem in bello strenuum ac fortem haberēt. Idcirco Regem corporis figura ac statura cæteros longè præstantem elegit. Quia ferè natura comparatum est, ut non tam animi uirtutem, quam corporis magnitudinē admiremur.

Q. XVI.

Cap. xi. Cur Naas Ammanites Israelitarum oculos dextros effodit? Quum eos ad bella haudquaq; utiles declarare uellet, id fecit. qui enim manu sinistra clypeum effert: sinistrum oculum pariter flectit: dextero uero hostes contemplatur. Cui itaq; dexter oculus effoßus est, is facile in acie capi potest.

Q. XVII.

Quæ causa fuit, cur Samuel quum unum in locum populum congregasset, suam apud illum uiuendi rationem explicarit? Quum Iudex esset, Magistratu se abdicauerat; eumq; Regi electo commendauerat. Iure igitur optimo ea quæ ad officij sui partes attinebant, explicauit; suæq; administrationis populum ipsum approbatorem esse uoluit. Cap.xij.

Q. XVIII.

„ Quid intelligi uoluit quum dixit, Filius unius an Cap.xiij
„ ni erat Saul quum regnare cœpisset? Hac locutiõe Saulis simplicis hominis animum declarauit: qua quidem animi natura simplici præditus erat, quum Regiam potestatem adeptus est. Postmodum tamen quum de simplici statu suo declinasset; Diuina gratia merito ac iure nudatus est.

Q. XIX.

Quid est quod Ionatham quum in stationem Philistinorum irrumpere uellet, signa quædam armigero suo dedit? Vt fidelis Diuinam uoluntatem scire uoluit; & signa quædã Diuinæ uoluntatis sibi ipse dedit: ut siquidem à Philistæis ad pugnam inuitarentur, in hostes irrumperent, tanq; Deo sibi ma- Ca.xiiij

„ nifestè auxilium atq; opem ferente. id enim signi-
„ ficat quum ait. Si autem dixerint, Ascēdite ad nos,
„ ascendamus ad eos; quia tradidit eos Dominus in
„ manibus nostris: & hoc erit nobis signum. Quod
autem Deo fidens in apertum periculum atque di-
„ scrimen se intulerit, ipsius uerba declarant. Veni
„ transeamus ad stationem incircuncisorum horum;
„ si fortè faciat Dominus pro nobis. quia non est Do
„ mino difficile saluare uel in multis, uel in paucis.
Hæc planè uerba animi sunt Deo magnopere cō-
fidentis. Quæ quidem spes, quam sibi in Deo collo
cauerat, minimè illum frustrata est: Statim enim
stationem eorum perrrumpens unà cum armigero
suo circiter uiginti uirorum stragem edidit.

Q. X X.

Cur Deus Saulis execrationem confirmauit, qua
populum iureiurando adstrinxit, ne panem quis-
quam comederet usque ad uesperam, quum tamen
bellantium labor ac lassitudo respicienda fuerit?
Dum sciscitanti Sauli, an bellum gerendum sit, De
us quasi iratus non respondet; execrationem Sau-
lis, quam Ionathas imprudens uiolauerat, confir-
mat: simulq; nos docet, huiusmodi etiam execra-

tiones haudquaq; contemnendas esse.

Q. XXI.

„ Quomodo intelligendum, Pœnitet me quod consti- Cap.xv.
„ tuerim Saul Regem? Humano more sæpè Deus in
sacris literis loquitur; ut facilius à nobis intelligi
possit. Deum ergo pœnitet quotiescunq; rerum
humanarum dispensationem mutat. Exempli
causa, Creari Saulem Regem ob illius spectan-
dam corporis formam, atq; staturam iussit, non
quod ipse maximis corporibus delectetur; quum
ipse & magnorum & exiguorum opifex atque
effector sit; sed ut populo illi gratum faceret, qui
corporeis oculis tãtummodo utebatur. Quod enim
sæpenumerò exigua corpora magnis, & iuuenes
senibus anteferat; testis est Zacchæus statura pu- Lu.xix
sillus, qui Dominum CHRISTVM hospitio suscē-
pit. Testis est Samuel Adolescentulus, qui dignus i.Re.iij.
habitus est ut ei uniuersorum Dominator appa- i. Reg.
reret. Testis deniq; est Dauid & statura & natu xvi.
grandioribus fratribus ab ipso prælatus. Quum
ergo ait, Pœnitet me quod constituerim Saul Regẽ,
idem ualet ac si dixisset, Regnum alteri dare, Sau-
li uerò adimere decreui.

Cur Saulem Deus ob humanitatem ac benignitatem, qua in hostes usus erat, regno spoliauit? Vt omnium rerum cognitor præsciebat Saulem tum Diuinam legem uiolaturum, tum insidias aduersus de se benemeritos moliturum, sacerdotum cædem, atq; occisionem facturum, fidem denique, & iusiurandum neglecturum, & insanam Vatem sciscitaturum: & (ut alia minima maxima omittam) ad prouocandam in se Diuinam iram non ne satis erat quod mandatum Domini neglexisset, quo ei præceptum erat, ut Amalecitas internecino bello persequeretur? scire namq; uæcordē Saulem oportebat, uel unicam Diuinæ benignitatis, ac clementiæ stillam omnem omnium hominum benignitatem, clementiamq; infinitis partibus superare. Ipse uero miserabilis Deo Amalecitas punire iubente, hostium populi Dei misertus est: & Deo internecionem illorum fieri mandante, ipse uitam ac salutem illis dedit. quid multa? Deo denique imponente, ut nihil omnino è præda reseruaretur; ipse optima quæque è gregibus atq; armentis, & omnium aliarum rerum pulcherrima ferēs è bello

uictor atq; ouans remigrauit. Quid quod ipse in Deum contumax filium suum qui de hostibus uictoriam reportauerat, occidere uoluit; qui præter patris sui præscriptum inscius atque imprudens modicum mellis fame adductus degustauerat: quũ tamen Dominus præclarum seueritatis suæ exemplum edidisset; quum in ipsum Achar minimè obe Iof.vij.
dientem Igne ac Lapidibus animaduerti iussisset. Sed nimirum Saul primi parentis Adami qui culpam non in uxorem suam tantum, sed etiam in Gene.iij
„ *Deum transtulerat, uerbis usus est. Peccaui times*
„ *populum, & obediens uoci eorum. Nam & ille di*
„ *xerat. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mi*
„ *hi de Ligno; & comedi. Et quia Saul ut se apud Sa*
„ *muelem purgaret, dixerat; De Amalec adduxe*
„ *runt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus*
„ *& armentis ut immolarentur Domino Deo tuo:*
„ *reliqua uerò occidimus: audiuit ex ore Prophetæ.*
„ *Nunquid uult Dominus holocausta & uictimas:*
„ *& non potius ut obediatur uoci Domini? quoniã*
„ *quasi peccatum hariolandi est repugnare: et quasi*
„ *scelus Idololatriæ nolle acquiescere.*

Q. XXIII.

Vt quid Samuel Regem Agag occidi iussit? Ea ui

Nume. delicet ratione qua Phinees Zambri & Cozbi pu

i. Maca. gione confodit: quaque Mathathias Iudæum quen

ij. dam super aram trucidauit. Quicquid enim de sententia Dei agitur, pium ac sanctũ haberi debet.

Q. XXIIII.

Ca. Vi. Quæ causa fuit, cur Samuel à Deo iussus Dauidẽ ungere, formidarit? Quia non tantum Propheta, sed & homo erat. Nam si omnium prophetarum Dominus, ut uerè humanam naturam se suscepisse declararet, quum iam pro totius humani gene-

Matth. ris salute passurus esset, formidauit: ecquis adeo

xxVi. ab animi affectionibus liber erit, qui trepidanti prophetæ succensendum esse arbitretur?

Q. XXV.

Sunt nonnulli qui ipsum etiam Deum incusare non uerentur, quod prophetam mendacium dicere docuerit. ait enim. ,, Vitulum de armento tolles in ,, manu tua: & dices, ad immolandum Domino ueni. Enimuero id mendacium minime fuit: reuera nanq; sacrificiũ fecit. Dictũ est igitur illi, ut opus cuius causa proficiscebatur, silentio præteriret:

opus uerò, quod præter propositū erat, indicaret.

Q. XXVI.

Quare electum à Deo propheta ignorabat? Quia non Deus, sed homo erat. Dei nanque solius est omnia scire: prophetæ uerò ea tantummodo quæ sibi à Deo aperiuntnr. Accedit ad hæc, quod prophetæ ignorantia faciebat ut cæteri de Diuina Dauidis ad Regnum eligendi uoluntate, atq; suffragio celarentur. Si enim statim ad Dauidem ungendum cucurrisset; sine dubio suspicioni locum dedisset, id se ex animi sui sententia, non Diuino iussu fecisse. Sed quia ad primum, ac secundum, ac septimum deniq; ordine accessit; id se diuino imperio obtemperantem fecisse declarauit. Etenim si delectu ad hūc modū habito Dauid tamen in inuidia fuit; idque apud fratres suos; quid nam passus esset, nisi hac ratione electus fuisset?

Q. XXVII.

„*Quomodo intelligendū illud? Spiritus autē Domi-*
„*ni discessit à Saul: & exagitabat eū Spiritus ne-*
„*quam à Domino. Diuino spiritu discedente pessimus Spiritus in Saule locum habuit. Ex hoc uerò* Psal. l.
docemur, ut illud Dauidis cū uoce magna dicamus,

Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Eadem *enim ratione diuina gratia Iudam proditorem de-*
Io. xiij. *serente, Diabolus in illum intrauit.*

Q. XXVIII.

Qua ratione quum psalleret David, *spiritus ille malus a Saule recedebat?* Diuini *spiritus gratiam* David *humilis ac mansuetus acceperat.* Id *igitur per Dauidem spiritu sancto efficiente nequam spiritus recedebat.*

Q. XXIX.

Quare Saul omnibus in singulare certamen cum Golia descendere recusantibus, Dauidem, qui alacri ac prõpto animo in certamen uenire uolebat, dehortabatur? David id tẽporis quindecim, aut sexdecim annos natus erat: quum enim septuagesimũ annum haberet, è uita discessit: quadraginta uerò annos regnauit. Trigesimum itaque annum age-
ij.Re.v *bat, quum Saul seipsum occidit. Qui tamen quum*
iij.Re.ij Dauidem Diuino *auxilio magnopere fidentem animaduertisset; cumq; Diuina ope fretum Leonẽ ac Vrsum suffocasse intellexisset; à tam necessario certamine non reuocauit.*

Q. XXX.

Multi quærunt quo modo Saul Dauidem ignorauerit, quē antea allocutus fuerat; armis suis induerat; pugnantem denique cum Golia, ac de illo uictoriam reportantem conspexerat. Alterum è duobus existimandndum est, aut Corybantum more insaniens Dauidem Citharam pulsantem non sentiebat: aut inuidia obcæcatus atque impulsus subtiliter inuestigabat, num is uerè Dauid esset.

Q. XXXI.

„ Quo modo accipiēdum illud, Inuasit Spiritus Dei
„ malus Saul: & prophetabat in medio domus suæ?
Falsi Prophetæ spiritu malo agitati ijs, qui Corybantum more insaniunt, assimilantur. Hoc idem Saul à Dæmone agitatus patiebatur.

Q. XXXII.

Quare Saul quum Dauidi inuideret, eiq; grauiter infensus, & inimicus esset, filiam suam illi despondit? Saulis dolosum consilium, atq; propositū
„ historia declarauit. Non sit manus mea in eum; sed
„ sit super eum manus Philisthinorum. Nuptiarum igitur nomine, ac simulatione non beneficia, sed maleficia meditabatur.

Q. XXXIII.

Cur Saul centum præputia Philisthinorum sibi à Dauide pro sponsalibus afferri uoluit? Vt Histo rici uerba declarant, Saul Dauidem in manus Phi listhinorum incidere maxime optabat: ne ergo ali quem è tribubus Israelis occideret; occisorumq; capita ad regem referret; centum sibi præputia af ferri iussit; quæ nō nisi alienigenarum hominum esse poterant.

Q. XXXIIII.

Quid est quod ij qui a Saule ad Dauidem ac Sa muelem missi erant, uaticinabantur, postremo etiā ipse Saul? Varia, atq; diuersa sunt (ut ita dicam) Dei retia. Alios nanque per hominem, alios uerò
iiij. Re. vi. per cæcitatem capit. id quod per Helyseum factū esse legimus. At uerò Saulis lictores uaticinandi munere uiuos cepit. Quāq; enim Saul unà cū alijs uaticinaretur, nō eodē tamen quo cæteri modo. nu dus enim tota die illa, & tota nocte procidit. Qui quidem uaticinandi habitus potestatem regiam quandoque ab illo adimendam esse significabat.

Q. XXXV.

Ca. xx. *Cur quum Ionathan patris sui insidias Dauidi*

aperire uellet, per sagittarum iactum id fecit? Nō nulli dixerunt, per causam iaciēdi sagittas patris sui infensissimam mentem Dauidi declarasse, ut famulum suum quid ageretur celaret.

Q. XXXVI.

Qua ratione consecrato pane uesci non formidauit? David usque adeò hac in re à culpa remotus fuit, ut Dominus in Euāgelijs illius exemplo Apostolos suos excusarit: eosq; à culpa omnino liberos esse ostenderit. ca. xxi. Mar. ij.

Q. XXXVII.

Quomodo intelligendum ab impijs egreditur impietas; manus ergo mea non sit in te? Dauid sese totum diuino iudicio ac prouidentiæ tradiderat. ait enim. Iudicet Dominus inter me & te; ut ul-
" *ciscitatur me Dominus ex te: manus autem mea nō*
" *sit in te. Deinde prouerbium addidit, quo declaratur, improborū hominum esse peccare: eorum uerò qui Philosophiam colunt, aliena peccata æquo animo tolerare.* Capi. xxiiij.

Q. XXXVIII.

Qua ratione Dauid, qui incredibili patientia inui Capi. xxv.

diam, atq; potentiam Saulis tulit; stultum illum Nabalem interficere uolebat? Ea nēpe de causa, quia quum de illo benemeritus esset, id quod pastorum ipsius uerba declarant; & petitio Dauidis modestiæ ac temperationis plena, ut pote quæ necessariorum rerum inopiam significaret; nō solum supplicum preces repudiauit, uerumetiam maledictis petulantissime insectatus est. Considerauit nāq; Saulem tum ab se rectè factorum inuidia, tum regni amittendi timore commotum se se hostili animo persequi: Nabalem uerò nullā omnino huiusce petulantiæ ac iactationis causam habere.

Q. XXXIX.

Cur quum iurasset David & Nabalem, & qui cum eo erant se interfecturum: iusiurandum tamen non conseruauit? Iusiurandum illud iustæ iræ atque indignationis fuit: malè uerò merenti parcere clementiæ ac mansuetudinis, quæ singularis atque precipua in Dauide fuisse prædicatur. Quum enim prudentissimæ Abigaelis precibus placatus fuisset; iram omnem, atque indignationem, qua iure optimo incitatus erat, repressit.

Q. X L.

Carmeli nomine montem, an alium aliquem locum intelligit? Eusebius Cæsariensis uir longè doctissimus hoc loco non montem, sed Castellum quoddam ad Austrum positum Hierosolimis finitimum accipi debere scriptum reliquit.

Q. X L I.

„ Quomodo intelligendum? Nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius uenerit ut moriatur, aut in Capi. xxvi.
„ prælium descendens perierit; & cætera. Quum ait, Nisi Dominus percusserit eum, Diuinitus inflictam plagam significat: cuiusmodi infantes Aegyptiorum, ac populum ipsum Hæbreum in desertissima illa solitudine, Carmelium denique Nabalem (ut alios omittamus) accepisse Sacra Historia abundè testatur. Illud uerò, Aut dies eius uenerit, Mortem natura ipsa allatam declarat. quod quidē fit aut nimia ciborum abundantia, aut defectione, aut aliquo eorum humorum qui in nobis sunt redūdante atq; superfluente. Mors uerò quæ in bello accidit, uiolenta est, ij nanque qui robusti corporis sunt in pugna sæpenumero interficiuntur, atque occumbunt.

Exo. ij. Nume. xiiij. i. Reg. xxv.

Q. XLII.

Capi. xxviij. Cur quum Samuelis mortem supra suo loco memorasset, rursum eius mentionem fecit? Narraturus quæ ad Pythonis Spiritu concitatam mulierẽ pertinebant, necessario Samuelis mortẽ repetiuit.

Q. XLIII.

Quomodo ea quæ ad mulierem Pythonem habentem pertinent, intelligenda sunt? Nonnulli tradiderunt Samuelem à muliere à mortuis excitatum fuisse. alij uerò Dæmonem quendam planum ac circumscriptorem habitum ac formam Samuelis gerentẽ se se ostendisse: eaq; quæ à Samuele loquẽte audierat, protulisse scripserunt. Nonnullis uerò quod primo dictum est, impium, atq; nefarium esse uidetur. neque enim adduci possunt huiusmodi mulierculas, aut homines posse quenquam, præsertim sanctissimi hominis animam, ab Inferis reuocare. Alterum sanè à ratione, ac uera religione alienum est. Sunt qui primam rationem falsam esse dicant, ꝙ prædictionem illam mendacem fuisse suspicati sunt: ideoq; illam mendacij inuentoribus atque magistris Dæmonibus ascribant.

C.x. Ego uerò in primo Paralipomenon libro rem totã

„ in hunc modum explicatam inueni. Mortuus est er
„go Saul propter iniquitates suas; eò quod præuari-
„ catus sit mandatum Domini, quod præceperat, &
„ non custodierit illud. sed insuper etiã Pythonissã
„ cõsuluerit; nec speraucrit in Domino: propter quod
„ interfecit eũ; & transtulit regnũ suum ad Dauid
„ filium Isai. Hinc igitur manifestum, atq; apertum
fit, Principẽ illũ Deũ, sicut uoluit, Samuelis spẽm
formasse: ac sentẽtiã de ipsius Saulis interitu pro
nũciasse. Sic per Balaã impiũ uatẽ populo Israelis Nume.
bona se daturum promisit: et quæ longo post tẽpo xxiiij.
re uẽtura erãt prædixit. Neq; uerò uidere possũ
qua ratione aut falsam prædictionẽ fuisse, aut spi-
ritũ malum ex ipso Samuele quũ adhuc in uita es-
set audisse suspicẽtur. Prædictionem nanq; uerã
fuisse ipse rerũ exitus approbauit. sequenti nãq;
die Saul et Ionathas ad inferos descenderũt; quod
sanè Samuel nunquam ante prædixerat: sed solam
regni ademptionem. Ac ne illud quidem quenquã
moueat, quod mulier illa Samuelem uidisse memo-
retur; aut quòd Saul Samuelem fuisse existima-
rit. Historia nanque uisum illud Samuelem uo-
cauit; propterea quod Saul sic esse crediderat.

Gene. xviij. Sic eos Angelos qui Abramo uisi erant, uiros ap-
pellauit: sic eos qui re uera Dij non sunt, Deos idē
tidem uocat. Eadem ratione hoc quoque loco eum
qui Samuelem habitu ac forma referebat, siue is
Angelus, siue Samuelis simulacrum, atque anima
fuerit, nominauit. ut non immerito deceptus Saul
suspirās ac gemēs è uita excederet. sed ut, ut est,
sciendum id præstigijs mulieris Pythonem haben
tis minime factum esse; sed Diuina sapientia atque
potētia, quæ sæpe ex ore hominum impiè prauèq;
Ge. xli. uiuentium futura prædixit. Sic per Pharaonem
Regem rei frumentariæ copiam ac uilitatem, con-
dani. ij. traq; annonæ inopiam ac caritatem; sic per Nabu-
chodonosorem maxima regna totius orbis terrarū
prænunciauit. Neque uerò de tota hac re aliter at-
que ego existimo sensisse crediderim sapientissi-
mum illum IESVM filium Sirach in eo libro qui
Gen. ij. Ecclesiasticus inscribitur, cum ait. Et post hoc dor-
miuit; & notum fecit Regi, & ostendit illi finem
uitæ ipsius.

Q. XLIIII.

Vnde mulier quæ Pythonem habebat Saulem es-
se cognouit? Facile fuit Dæmoni qui per illam lo-

quebatur, docere quis nã esset qui eam sciscitaretur. Diuinæ uerò prouidentiæ sine dubio fuisse ,, existimandũ est, quod Dauid unà cum Philisthæis ,, minime in acie uersaretur. Neque enim populum suum internecino bello fundi cædiq; permisisset: sed omnem curam prouidẽtiamq; in eius salute adhibuisset.

Q. X L V.

Cur Deus Amalecitis permisit ut ex urbe Siceleg à se exusta uxores liberosq; Dauid ac sociorũ eius captiuos abducerent? Vt dolore commoti aduersus Amalecitas arma caperent: eosq;, ut ante prædixerat, funditus perderent; atque delerent. Ad hæc, ut plurima præda capta Philisthæis munera mitteret: eorumq; beneuolentiam sibi per hãc causam conciliaret. aa.xxx

IN SECVNDVM LIBRVM REGVM QVAESTIONES.

Q. XLVI.

Capi. i. Nonnulli Dauidem reprehendunt quòd eum qui illi de Saulis interitu renunciarat, occidi iusserit. Hi profecto sanctissimum Vatem ac Regem suspicere, atq; admirari, non uituperare debuerant. Inimici nanq; hominis morte audita lamentatus est: neque id tantum, sed & à fletu non temperauit. Quid? quod is qui renuntiauerat nulla iniuria ab Saule affectus in omnium gemitu de Regis, ac filiorum eius, de totius denique populi clade lætabatur: tum etiam mendacium nuncio affinxit, se ipsum Saulis interfectorem arroganter appellans. Ad hæc Amalecita erat, contra quos uniuersorũ Dominator Deus sententiam olim tulerat; ut populus Iudaicus eos bello internecino persequeretur. Deuter. xxV.

Q. XLVII.

Quid ita Dauid lamentatus est? Multa Dauidem ad lamentationem ac fletum prouocarunt. Ionathæ

desiderium; erga populum suum beneuolentia; Sau lis interitus, quē enim uiuentem, spirantemq; cul= tu, atque honore dignum existimauerat; multo ma gis uita spirituq; carentem miserebatur. id quod „ ex subiectis uerbis manifeste colligi potest. Om= „ nesq; uiri qui erant cum eo & planxerunt, & fle „ uerunt, & ieiunauerunt usq; ad uesperam super „ saul, & super Ionatham filium eius, & super po= „ pulum Domini, & super domum Israel, eò quod „ corruissent gladio.

Q. XLVIII.

„ Quid sibi uerba illa uolunt, Considera Israel pro „ his qui mortui sunt super excelsa tua uulnerati? Ne exiguā quandā, & qualemcūq; existimes tibi impositā plagam; sed diligēter expēde qui nā sint qui ceciderūt. Rex uidelicet, et Regis filius, et ex cunctis tribubus optimi quique, ac præstantissimi.

Q. XLIX.

Cur montibus Gelboe male precatus est David? Id quoque doloris exuperantiam mire declarat. Quēadmodū enim ij, q aliqua corporis parte affli cti sūt, aut parietibus, aut lecto propter doloris acu leos manus affigūt, ita diuinus ille uir præ multa

tristitia inanimatis montibus mala precatus est.

Q. L.

Nonnulli illud Dauidis in Ionatham dictum elu-
dunt. Et amabilis super amorem mulierum. Tam
quam stolidi id quod prudentissime dictum est in-
rident. Considerandum nanque illis erat, Dauidem
quum ardentem quandam, ac ueram, germanamq;
beneuolentiam erga Ionatham explicare uellet,
hac illum comparatione usum fuisse. Tantus est
enim uiri erga uxorem affectus, ut à Deo per
Gene.ij. Moysen scriptum sit. Propter hoc relinquet ho-
mo patrem, et matrem, & adhærebit uxori suæ:
& erunt duo in carne una. Quemadmodum enim
lege coniugali copulatos coniunctio ipsa carnem,
& corpus unum efficit; eadem ratione integre
atque sincere amantium animos affectus ipse in
unum colligere, atq; redigere consueuit.

Q. LI.

Vt quid Deus iussit Dauidem primo in Hebron
ascendere? Ipse qui iussit, nouit. Quantum autem
coniectura assequi possum, ea de causa Deum id
Ge.xxxv. præcepisse existimo, quia Patriarchæ dum uita ac
communi Spiritu fruerentur, iuxta urbem illam
habita-

habitarunt; & posteaquã ex hac uita emigrarunt, sepultura affecti sunt. Huc accedit, quod ex tribu Iuda erat Dauid; huius autem tribus ea tempestate primaria urbs erat Hebron: ad illum enim diẽ Iebusæi Hierosolymam obtinebant: Tribus uerò Iuda Dauidem præ cunctis tribulibus suis diligebat. Quod uerò Hebron primas tenuerit, historia „ docet. Manserunt in oppidis Hebron. Alterum uerò quæ sequuntur satis declarant. Veneruntq; uiri Iuda, & unxerũt ibi Dauid, ut regnaret super domum Iuda. Vnxerunt uerò uerbum pro uerbo proprio elegerunt, subiectum est: anteà nanq; a Diuino uiro Samuele unctus erat. i. Reg. xvi.

Q. LII.

Quomodo accipiendũ illud quod ab Abner dictũ „ est, surgant pueri, & ludant coram nobis? Bellicum, ac singulare certamen fortissimis iuuenũ proposuit; ut an rei gladiatoriæ periti essent, experiretur. Horum autem militarem congressum apte, congruenterq; ludi nomine nuncupauit.

Q. LIII.

Quum lex uetet, mulierẽ quæ à uiro suo discesserit, & alteri se coniunxerit, ad priorem uitam re- Cap. iy.

C

uerti: qua ratione beatus David Michol alteri, postquam à se discesserat, nuptam, uxorem repetiuit?

Deut. xxiiij. Lex uxorem cui uir nuntium misisset, & alteri in matrimonium collocata fuisset, ad priorem uirũ reuerti prohibuit. Idipsum enim & per Hieremiã

,, Dominus his ipsis uerbis declarauit. Vulgo dici-
,, tur, si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab
,, eo duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad
,, eum ultrà? Nunquid non polluta & contaminata
,, erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum ama-
,, toribus multis: tamen reuertere ad me dicit Domi

nus. Dauid uerò uxorem Michol non dimisit; sed illius pater contra legem à Dauide marito illam abducens, alteri uiro collocauit. Violentia igitur non matrimonium fuit. Id quod & beatus Apostolus testatus est, quum ait. Igitur uiuente uiro uoca

Ro. vij.

,, bitur adultera si fuerit cum alio uiro. Dauid itaq;

legem non uiolauit; sed pater qui filiam suam alteri collocauit. Neque enim matrimonium existimari debet quod contra legem fit. Violentiæ igitur soceri sui ignoscens Dauid, filiam eius rursum in matrimonio habere concupiuit.

Q. LIIII.

Quam ob rem Ioab Abnerem occidit? Per causam ulciscendi fratris sui Asaelis, quem Abner ipse quodammodo coactus, atq; ab ipsomet Asaele impulsus transfodit: reuera autem propter inuidiam. Optime enim omnium nouerat Abnerem à Dauide Ducem belli deligendum; propterea quod uniuersum Israelem ad Dauidem congregasset; illiusq; ditioni subiecisset.

Q. LV.

Cur Dauid Rex Abnerem immerito, atq; iniuria occisum continuò non est ultus? Ipsemet quæstionem hanc in his quæ sequuntur persoluit. Porrò „ uiri isti filij saruiæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam. Vbi enim commode fieri potuit, Dauid iustæ iræ, atque indignationi non pepercit. Statim enim eos qui Miphiboseth occiderant, eiusque ad se caput attulerant, præcisis manibus suspendi iussit. iiij.

Q. LVI.

Cur Dauid tertio unctus est? Regalem sanè potestatem uniuersorum princeps Deus illi per samuelem tradiderat, unam uerò, atq; alteram Dauidis Cap. V.

electionem qua David per populi suffragia Rex creatus, atq; confirmatus fuit, historiæ scriptor Vnctionem appellat: Primo nanq; Davidem Regē tribus Iuda elegit, secundo autem loco post septem annos à reliquis tribubus Regis nomine appellatus est.

Q. L V I I.

,, Quid sibi uolunt uerba illa? Dictumq; est David
,, ab eis, Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos,
,, et claudos dicentes: Non ingredietur David huc.
Iebusæi usq; ad illam ætatem Hierosolymam obtinebant. Vt primum uero domesticum cum Saule bellum finem habuit; David exercitum aduersus eos conduxit: ij uero exercitu David contempto, quotquot oculis ac pedibus capti erant super muros collocatis, Davidem conuicijs petulantissime cō
,, sectari iusserunt; ac dicere. Non ingredieris huc,
,, nisi cæcos & claudos abstuleris, dicentes, Non
,, ingredietur David huc.

Q. . I L. V I I I.

Quare Deus Davidi cum Philisthæis bellum gerere modo iubet, modo uetat? Tanq; sapiens Dux, atque magister Davidem in uirtute exercet.; hortā

turq; ne suis uiribus fidat: sed Dei auxilium, atq; opem præstoletur. Quare & ei signa dare non recusat, quando illi appariturus sit.

Q. L I X.

Vt quid Michol Dauidem arguit, quòd coram arca Domini saltauerit? Alienum illi uidebatur Dauidis maiestate, atq; imperij dignitate: neque enim Diuini amoris, ac desiderij stimulos experta erat: ex quo sapientissimus, Deiq; amantissimus Rex uehementius illã increpauit: Deus uerò non illam tantũ per Dauidem increpauit, sed etiã grauissima „ pœna mulctauit. Nam, ut historiæ huius scriptor „ ait, Ipsi Michol nõ est natus filius usq; in diẽ mortis suæ. hoc est. Nunq; liberos ex ea Dauid sustulit.

Q. L X.

Quum propheta esset Nathan, qui fieri potest, ut uoluntatem Dei ignorarit? & Dauidi templum Domino ædificare iusserit? Et iam antea diximus, Vates quamuis pios non omnia scisse; sed ea tantũ quæ Diuino instinctu, afflatuq; illis indicabantur. Sic Samuel quem ex filijs Isai ungeret ignorauit: sic Elisæus Sunamitidis mulieris uix consolabilẽ dolorem: eadem ratione Nathan, quum Regis sens

Cap. Vi.
i. Reg. xVi.
iiij. Re. iiij.

tentiam, atque propositum approbasset, uniuersorũ Domino probatum iri existimauit. De nocte tamen à Deo admonitus, Regi indicauit templi constructionem Regis filio reseruari.

Q. L X I.

Ca. Vij. Quid his uerbis significatur, & percussit Moab,
,, & mensus est eos funiculo coæquans terræ. men
,, sus est autem duos funiculos, unum ad occidendũ,
,, & alterum ad uiuificandum. factúsq; est Moab
,, Dauid seruiens sub tributo. Tanta fuit uictoriæ uis ac magnitudo, tanta eorum qui in acie capti sunt multitudo, ut numerando percenseri non possent. Iussit itaque Rex illos in terram inclinari capite ac uultu demisso, ac tris in partes distribui: ac duas quidẽ partes occisione occidi; tertiã uerò partem uitæ reseruari: ac tributa Regi cõferre.

Q. L X I I.

Quare omnibus curulibus equis crura suffregit?
Deuter. xVij. Diuina Lex prohibuit Regem multos sibi equos comparare; ut non equis, sed Diuinæ potentiæ confidendum esse non ignoraret: hanc Legem secutus omnibus equis iugalibus crura frangi iussit. Ip-
Psal. sum quoque in Psalmis canentem, atque dicentem

„ audire licet. Non ſaluatur Rex per multam uir- xxxij
„ tutem: & Gigas non ſaluabitur in multitudine
„ uirtutis suæ. Fallax equus ad ſalutem; in abundan
„ tia autem uirtutis suæ non ſaluabitur.

Q. L X I I I.

Vt quid Deus modo natum infantem mori uoluit? Ca. xij.
Viuens paterni ſceleris monimentum, atque indicium ſine ulla dubitatione fuiſſet: & crimen suū recognoſcenti Regi opprobrio extitiſſet. Tanti igitur, Regis ac Vatis ſaluti, atque honori proſpiciēs Deus infantem diutius uiuere non permiſit.

Q. L X I I I I.

Quare Sacerdotes, & Arcam Rex Dauid fugiēs, Ca. xv.
se sequi prohibuit? Quum eſſet & pius, & propheta, optime omnium nouerat quid Arca fœderis paſſa eſſet, eo quòd in auxilium, atq; opem hominum Diuinam Legem uiolantium sumpta eſſet: illi enim interfecti sūt: hæc uero in acie capta alienigenis hoſtibus tradita eſt. Hæc edoctus ad Sa-
„ doch ſacerdotem locutus eſt. Reporta arcam Dei
„ in urbem: ſi inuenero gratiam in oculis Domini, re
„ ducet me: & oſtendet mihi eam, & tabernacu-
„ lum suum: Si autem dixerit mihi, Non places,

,, *præsto sum. faciat mihi quod bonum est coram se.*
Non possum, inquit, accusatorem meum circundu-
,, *cere: intus loquentem legem audio. Non mœcha-*
,, *beris, non occides. Ego uerò utramq; legem con-*
culcaui.

Q. L X V.

Ca.xvi. *Nonnulli Dauidem culpāt quod Sibæ in Dominū*
suum mentienti fidem habuerit. Non semel à no-
bis dictum est, nòn omnia Vates quamuis pios no-
uisse. Enimuerò hic Siba uerbis ad persuadendū
concinnis usus est: ad hæc dona quoq; Regi, totiq;
xix *eius familiæ attulit. postmodum tamen Dauid &*
ipsius Miphibōseth excusationem accepit: & su-
periore cura dignum habuit: &, quod caput est,
xx. *quum orta fame Gabaonitis septem è domo Saulis*
cruci suffigendos tradidisset, ei propter iusiuran
dum, quod clarissimum uerissimumq; in uerba pa
tris illius Ionathæ iurauerat; clementer, fideliter-
que pepercit.

Q. L X V I.

Quidam Cusai uitio dant, quod mendacium Absa-
loni dixerit: eumq; hac arte fallere studuerit. Bono
rum atque malorum hominum propositum atque

ſententia in una quaque re diligentiſſime perpenſdenda sunt. Hac enim ratione fiet, ut ueritatem
„ quoque alicubi damnatam inueniamus. Herodes, Matth.
„ inquit Euãgeliſta, propter iuſiurandũ, et ſimul di xiiij.
„ ſcũbẽtes Ioannẽ Baptiſtã interfecit. Sed quis obſecro te, adeo ſtolidus eſt, ut ueritatem ob nefariũ ſcelus committendum ſeruandam putet? Primum enim ſatius fuiſſet non iurare; deinde uerò poſtq̃ iurauerat, ex malis minimum, [redacted] *ſcilicet, eligendum erat. Hic igitur ſimulatio fuit non quæſtus & lucri cauſa; neq; ut damnum cuiq̃ afferret: sed ut ſanctiſſimum, ac maxime pium Vatem pariter & Regem ſeruaret.*

Q. LXVII.

Qui fieri poteſt ut sapiẽtiſſimus ille Dauid Achitophele conſiliario uteretur, quum ille sæpe conſilia non bona daret? Peſſimi uiri malitiam suam, ac prauitatem tandiu celant, quandiu cũ uiris ſapientibus, probiſq; uerſantur. Quum autem quempiã sui ſimilem nacti fuerint; continuo patenter, atque expedite illam præ se ferunt: oſtentant: de illa ſeſe magnifice iactãt. Huiuſmodi erat & hic Achitophel. Optimo nanque Dauidi optima conſilia da

bat: Abeſſaloni uerò eius moribus congruentia afferebat, Ad extremum ueritus ne patrem, ac filiũ inter ſe rurſus natura conciliaret, ipſe uerò proditionis pœnas expoſceretur; ſceleratiſſimum illud, atque indigniſſimum facinus ſceleratiſſimo filio ſuggeſſit: ut nullus uidelicet conciliationi locus relinqueretur. Diuino tamen iudicio impij, peſſimiq; conſilij ſtatim pœnas luit. Et quia filium aduerſus patrem armauit; ipſe aduerſus ſemetipsũ manus armauit: atque his ipſis collo laqueũ inijciens, per ſummum dedecus uitam amiſit.

Q. LXVIII.

Capi. xVij. Cur quũ ſupra hiſtoriæ huius ſcriptor dixiſſet, Abſaloni filios tres, & filiam unam fuiſſe, hoc loco ait. Porro Abſalon erexerat ſibi, quum adhuc uiueret, titulũ, qui eſt in ualle Regis. dixerat enim non habeo filium: & hoc erit monimentum nominis mei: uocauitq; titulum nomine ſuo: & appellatur Manus Abſalon usque ad hanc diem? Vtrunque uerum eſt: Conſentaneum nanque eſt illum et liberos procreaſſe, & illos diem ſuum obijſſe. Ioſephus uerò ait, Ea de cauſa id illum feciſſe, ut filijs quãdoq; interituris ſui nominis æterna memo

ria ſimul cum Titulo illo conſecraretur.

Q. L X I X.

Quid tantum Dauid uir ſanctus ac religioſus ſceleſtiſſimum filium Abſalonem lamentatus eſt? Cũ amãs filiorum, tũ maxime natura benignus erat. Cuius ſanè rei certiſſimum argumentum, atq; iudicium eſſe poteſt lamentatio illa, qua Saulem ſibi infeſtiſſimum hominem proſecutus eſt. Huc accedit, quod patrius amor, quæq; illius erat eximia lenitas, ac manſuetudo dolorem illum atq; mœrorẽ augebat: ſimulq́; eum lamentabatur, qui iam amplius nulla ſcelerum ſuorum recognitione ſanari poterat. poſt mortem nanque peccatorum plaga inſanabilis eſt, ac deſperata.

Q. L X X.

Cur Dauid Amaſæ Imperatoris munus atque officium pollicitus eſt; quum tamen Ioab pro eo multos labores ſuſtinuerit? multis ſeſe periculis obtulerit? Audaciam, confidẽtiamq́; Ioabi ſemper odio habuit: quem tamen ea ratione ſemper ſibi ferendum eſſe exiſtimauit, ne quid noui contra ſe, quum eſſet audax, atq; confidens moliretur.

Q. L X X I.

Ca.xx. Vt quid Dauid decem concubinas, quæ per uim ab Absalone nefario tyranno ſtupratæ fuerant, in cuſtodiam incluſit? Alienum a ſancto, ac religioſo uiro eſſe exiſtimauit poſt illum ſceleſtum contactum cum illis corpus miſcere: id enim & Lex ipſa manifeſte uetabat. Alteri autem uiro illas in matrimonium collocandas eſſe non iudicauit, ne occaſionem cuiquam tyrannidis daret: denique ne matrimonium quidem legitimum fuiſſet. ut enim ait

Ro.vij. diuinus Apoſtolus, Viuente uiro adultera efficitur, ſi fuerit uiro alteri copulata.

Q. L X X I I.

Quomodo intelligendum illud, Sadoc uero et Abiathar Sacerdotes: Ira autem Iairites erat Sacerdos Dauid? Sadoc & Abiathar principem locum inter ſacerdotes obtinebant: hic uero ſacerdos intra regiam degebat Diuinæ arcæ aſſidens; & regias uictimas mactans.

Q. L X X I I I.

Ca. xxi Cur quum Saul Gabaonitas occiderit, poſt illius mortem Iſraelita populus punitus eſt? Vniuerſus

Ioſ. ix. populus quum Gabaonitis fœdera fecerat: interfue

runt autem iureiurãdo Eleazarus sacerdos, et Iosue totius populi Dux. Par itaque erat, ut posteri eorum qui iusiurandum iurauerant icta fœdera nulla ratione uiolarent: Regiq; ipso ut fidem seruaret persuaderent.

Q. LXXIIII.

Qua nam de causa Dauid, quum in acie uersaretur, defecit? Senex erat: corporis tamen imbecillitatem animi alacritas superabat. Quumq; magnũ laborem in conflictu cum aduersario sustinuisset (propugnator nanque cohortis erat) laborem non ferens defecit. Et quum iam in lubrico uersaretur; eiq; mors ab alienigenarum hostium propugnatore immineret; præter expectationẽ ab Amasa incolumis seruatus est; qui & maximum, atque ingentem illum hostem occidit.

Q. LXXV.

Quid est quod quum populũ Dauid numerari iussisset, populus ipse pœnas expẽdit? Criminis sui populus pœnas exoluit. Pio nanque Rege derelicto, patricidæ filio adhæsit; idque quum tyrannidem affectaret: cædemq; nefariam patri moliretur: qui & sanctissimus Vates, & Rex ab uni- Capi. xxiiij.

uersitatis parente electus erat.In eo quoque Israe litæ accusandi sunt, quod Saulem condemnatum, & Diuina gratia nudatum non dereliquerunt, usque dum unà cum sanguine uitam profudit.Illum uerò qui eis innumerabilia beneficia conciliarat; qui alienigenarum hostium audaciam fregerat; qui Amalecitas occidione occiderat;qui Idumæos, Moabitas,& Ammonitas,et Syros utrosq; non tã tum armis ceperat,uerum etiam in seruitutem, ac ditionem redegerat,et tributa ferre coegerat; qui denique uaticinandi gratiam adeptus erat;non solum dereliquerunt;sed & contra illum aciem instruxerunt:& hostilem in modum unà cum scele ratissimo filio uexauerunt.Horum omnium scelerum pœnas iustus ille omnium Iudex per Dauidem ab eis iniuria affectum exegit. Neque
,, enim scriptum est, Surrexit Satan in Dauidem, sed, in Israelem.Hanc uerò mentem Deus in Dauidem minime iniecit;sed illa eum uti permisit, ut hac ratiõe in populum illum à Rege optimo desciscentem animaduersione atq; supplicio uteretur. cæterum hac in re Rex ille singulari, eximiaq; sanctitate ac sapientia præditus peccauit;quod po

pulum illum quem Abraamo uniuersorum Do= Ge.xV.
minus innumerabilem ueluti stellas cœli, atque ha
renam maris fore pollicitus fuerat; ipse
Diuinæ pollicitationis oblitus, nu
merando percensere
uoluerit.

IN TERTIVM LI-
BRVM REGVM
QVAESTIONES.

Q. LXXVI.

Capi. i. *Nonnulli suspicantur Nathan sanctissimum Vatem ægre tulisse quod ad conuiuium Adoniæ uocatus non esset: atque ob id Bersabee Regis uxorem subornasse, ut quæ ab Adonia gesta erant significaret. Insipienter admodum suspicionem hanc habuerunt. Nathan enim quum Diuinam sententiã optime nosset (per ipsum nanque Regi Deus indicauit, Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? & quæ sequuntur. Videns igitur Adoniam præter Diuinum consilium regnum Israelis occupare molientem; in memoriam Regi Diuinam sententiam per Bersabee internuntiam redegit: deinde ipse ingressus uerba illa confirmauit.*

Q. LXXVII.

Vt quid serui Regis quum Regi Dauidi bene precati fuissent, dixerunt, Amplificet Deus nomem Salomonis super nomẽ tuum: & magnificet thronum

,, num eius super thronum tuum? Nouerant nemi nem esse qui(modo is re uera paterno animo affe-ctus sit) filio suo quicquã inuideat. Quin etiã pro prium esse parentum ut filios longe clariores se uidere maxime optent. David certe ijs quæ à ser-uis suis dicta erant adeo lætitia aperte elatus est; ut quũ præ graui senectute è lecto cubiculari sur-gere non ualeret; in lecto tamen decumbens dixe-
,, rit. Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit
,, hodie sedentẽ in solio meo uidentibus oculis meis.

Q. LXXVIII.

Quare David quum Ioabum exercitus sui Du-cem non punisset, id filio suo Solomoni faciendum mandauit? Primo Ioabum ut laborum, ac periculo-rum & participem, & adiutorem, & socium re ueritus est: tum etiam illius audaciam subuereba-
,, tur: id enim significauit, quum ait. Porro uiri isti
,, filij Saruiæ duri sunt mihi. Ad hæc cum didicisset quod cum Adonia tyrannidem moliretur; timuit ne more suo usus ætatem Solomonis paruipende-ret: & alterum de duobus faceret, aut per simu-lationem collocutionis illum interficeret, quemad-modum antea Abnerem & Amasam dolose intere

Cap. ij.

ij. Re. iij

ij. Reg. xx.

D

merat: aut certe manifeste exercitum contra se cõparaset, atque instrueret: Israelem denique ut à se deficeret adhortaretur.

Q. LXXIX.

Quæ causa fuit ut quum Rex David iam semel semei pepercisset, Solomoni ut eum puniret præceperit? Tyrannicum hominem atq; audacem esse optime omnium nouerat; quũq; filij sui Solomonis saluti prospiceret, atq; consuleret; filium suum docuit quanta audacia, atque insolentia Semei erga se Re-
ij. Reg. gem suum usus fuisset: ut ab illius prauitate, atq;
xvi. malitia maxime cauendum, & prouidendum putaret. Neque illi fortasse, utpote sanctissimo Vati, latebat, Semei Solomonis præcepta uiolaturum.

Q. LXXX.

Nonnulli Solomonem incusant quod Adoniam fratrem interfecerit. Non unum, eundemq; uitæ cursum homines tenent. Hi nanque Philosophiam colunt: alijs uirtus illa, quam Politicam uocant, cordi est: alij regnum, aut rem bellicam administrant. Vnumquenq; igitur ex instituto uiuendi genere, quod amplexatus est, expẽdere oportet. A Solomone perfectio illa, quæ pium Vatem, aut Apostolum

deceat, minime requirēda est: sed ea quæ Regibus congruat. Hic autem nouerat Adoniam tyrānidē affectare: nam & is regnum occupare attentauit. Priori itaq; audaciæ ueniam dedit: & meliora illi promisit, si obedientiæ officiū diligenter, sancteq; seruaret. Postea uerò quam ille insolens atq; audax eam quæ olim cū patre suo coniuncta fuerat, uxorem habere appetijt; impudenti quidem postulationi non concessit; utpote quæ tyrannidis apertissime uia esset: ipsum uerò interfici iussit.

Q. L X X X I.

Cur Ioabum qui ad Deū confugerat occidi præcepit? Diuina Lege præceptum erat, ut homicidam Exod.
etiam ab altaribus auellerent, ac morte mulctarent. xxi.

Q. L X X X I I.

Quare Solomon Abiatharem Sacerdotij amplitudine priuauit? Socium atque adiutorem Adoniæ in Tyrannide occupanda sese præbuit. quod Solomonis
„ *uerba manifeste declarant. Vade in Anathoth*
„ *ad agrum tuum: & quidem uir mortis es:*
„ *sed hodie te non interficiam, quia portasti Ar*
„ *cam Domini Dei coram Dauid patre meo: &*

,, *sustinuisti laborem in omnibus in quibus labora-*
,, *uit pater meus.* Qua quidem in re Solomon Diui-
i.Reg.ij *næ prædictionis minister fuit: id quod ea quæ se-*
,, *quuntur aperte ostendunt.* Eiecit ergo Solomon
,, *Abiathar ut non esset sacerdos Domini: ut imple-*
,, *retur seruo Domini quem locutus est super do-*
,, *mum Heli in Silo.*

Q. LXXXIII.

Cap. iij. *Quomodo intelligendum, Attamen populus immo labat in excelsis? Non idcirco hoc loco eos accu-*
Deu.xx *sat quod simulacra colerent, sed quod præter legē in excelsissimis locis Deo sacrificia facerēt. Lex enim uno tātum in loco rem Diuinam fieri iussit. Errati tamen ueniam impetrabant, quia nondum Diuinum templum ædificatum erat. quā rē ipse huius historiæ scriptor his ipsis uerbis declara-*
,, *uit. Non enim ædificatum erat templum nomini*
,, *Domini usq; in diem illum. Quod autem non si-*
mulacris, sed Deo sacra facerent, historia manife
,, *ste nos docet. Abijt, inquit, Solomon in Gabaon, ut*
,, *immolaret ibi: Illud quippe erat excelsissimū ma-*
,, *ximū: mille hostias in holocaustū obtulit Solomon*
,, *super altare illud in Gabaon. Apparuit aūt Domi-*

„nus Solomoni per sõniũ nocte, dicens. Postula quod
„uis ut dem tibi. Quod si simulacris sacrificia fecis
set, haud quaq; Deus tot in illum dona contulisset;
quæ ille ne optauerat quidem: eumq; in posterum
sua prouidentia curaturum promisisset: ea tamen
lege ac conditione si Diuina præcepta, atque insti
tuta diligenter, sanctéq; obseruaret.

Q. LXXXIIII.

Quæ causa fuit, ut qui hæc historiæ mandauit, de
duabus meretricibus narraret? Regis sapientiam
ostendere uolebat. Sapientissimi nanque & prudē
tissimi Regis reuera fuit latentes res, animiq; af
fectiones aperire; et ipsius naturæ quæsitorem et
iudicem se declarare. statim igitur hæc infantis
mater esse ostēsa est, illa uero nõ esse conuincta est

Q. LXXXV.

Quomodo accipiendum est illud, Et præcedebat sa
piētia Solomonis sapiētiā omniũ Orientalium, &
Aegyptiorũ? Sapientiā Solomonis magis ex aliorũ
cõtentiõe, q̃ ipsā per sese Historicus cognosci, atq;
intelligi uoluit. Quã ob rem priscorum quoq; uiro
rum qui ab Oriente terras colunt, mentionem gene
ratim, atque uniuerse fecit. His etiam Aegyptios

adiunxit;utpote qui apud omnes in numero sapiẽ tum habeantur. Nam, ut historijs Græcis mandatum est, Pherecydes Syrus, Pythagoras Samius, Anaxagoras Clazomenius, Plato deniq; Atheniẽsis in eorũ ciuitatibus peregrinati sũt; ut ab ijs de Theologia, Physiologia perfecte planeq; edocerentur.

Act. vij Ipsa deniq; Diuina historia Mosæ Legislatoris perfectã eruditionẽ sẽpiternæ memoriæ cõmẽdãs ait, quod eruditus fuit omni sapientia Aegyptiorũ

Q. LXXXVI.

Qui nam fuerunt Ethan, & Heman, & cæteri sapientes, quos speciatim, nominatimq; enumerat? Erant temporibus illis nonnulli rerum Diuinarũ, humanarumq; cognitione præstantes: quare & ipsos nominatim memorauit. Ethan uerò, & Heman Diuina mente, & consilio præditos, & psallentium principes fuisse prior Paralipomenon liber non obscure declarat.

Q. LXXXVII.

xxv. Quomodo accipiendum illud, & disputauit super
,, lignis a Cedro quæ est in Libano, usq; ad Hysso-
,, pum quæ egreditur de pariete, & quæ sequũtur?
Solomonem stirpium, herbarum, & animantium

rationis expertium naturas , uiresq; physice persecutum fuisse ait . Hinc ego arbitror eos qui de Medicina libros scripsere, plurima tanquam è fonte hausisse. Tum etiam calidorum ac frigidorum, itemque siccorum atq; humidorum ordines explicasse. Hunc autem librum Iudæi interijsse tradũt, quemadmodum et librum Carminum, & maximam partem Prouerbiorum.

Q. LXXXVIII.

Quid fuit causæ, cur Solomon quum regnasset, nõ statim, sed quarto anno templum ædificare institueret? Materiam, resq; alias necessarias atque accomodatas præparauit; tum demum fundamenta iecit: id quod & huius historiæ scriptor his ipsis „ uerbis, ut LXX. Interpretes conuerterunt, declara „ uit. Et præparauerunt lapides & ligna tribus an „ nis ad ædificandam domum. quo loco Latina ædi „ tio habet. Porrò Gyblij præparauerunt ligna & „ lapides ad ædificandam domum. Cap. V.

Q. LXXXIX.

Quid domo saltus Libani significatur? Maximam domum in Regia ædificauit: quæ columnas è Cedro quinque & triginta habebat . Arbitror Cap. Vij

Psal. itaque domum hanc, domum saltus Libani uocatam
xxvij. fuisse, quia numerũ columnarum è Cedro habuit,
lxxix. nemus, ac saltum Libani imitantium. Cedros ue-
ciij. rò Libani procerissimas fuisse non uno in loco in
Ezech. Diuinis literis legere licet.
xxvij.

Q. XC.

Ca. vij. Quomodo intelligendum, Fecit ergo Solomon in tẽpore illo festiuitatem celebrem, & omnis Israel cum eo, septem diebus, & septem diebus, id est quatuordecim: & die octaua dimisit populos? septem diebus ob diem festum Encæniorum, hoc est dedicationis ædis sacræ; & septem, ob diem Scenopegiæ, id est tabernaculorum. Octaua uerò die quæ septimam scenopegiæ secuta est, populos lætantes dimisit.

Q. XCI.

Cur supra dixit, Achiam Silonitem pallium scidisse, & decem partes ipsi Hieroboam dedisse: hoc uerò loco Sameam id fecisse scribit? Bis id factum est. Achias enim adhuc uiuente Solomone pallium suum scidit: partesq; eius decem Hieroboam dedit: qua quidem magna, ac bona spe in Aegyptũ est profectus. Sameas uerò post obitum Solomonis,

et ipsius Hieroboam reuersionem hoc idem fecit: ac Diuinam prædictionem illi in memoriam rede git:ut disceret regnum sibi à Deo datum fuisse: utq; Diuinis legibus regiam potestatem ornaret. At ille miser, atque infelix diuinitus potestatem adeptus, humanis illam, atque nefarijs dolis, machinis, fallacijs conseruare tentauit.

Q. X C I I.

Quum præuidisset Deus quod populus impie, nefarie, perdite se gesturus esset; ut quid regni diuisionem fieri permisit? sed quid, obsecro te, Iudã, ac Beniamin iuuit, quõd templum haberent? eadẽ enim cum alijs flagitiosè peccarũt. Nam ut infra
,, scriptum est, Et fecit Iudas malum coram Domi-
,, no; & irritauerunt eum super omnibus quæ fece
,, rant patres eorum in peccatis suis, quæ peccaue-
,, runt. Aedificauerunt enim & ipsi sibi aras, &
,, statuas, & lucos super omnem collem excelsum,
,, & subter omnem arborem frondosam. sed & ef
,, fœminati fuerunt in terra: feceruntq; omnes abo
,, minationes Gentium, quas attriuit Dominus ante
,, faciem filiorum Israel. Non igitur propter Regni diuisionem decem Tribus ad impietatẽ prolapsæ

sunt; sea propter suam perfidiam atque iniquitatē.
Ob id Deus per sanctissimos Vates suos Iudæ im
i. pietatē exaggerabat. Nā et Osee meretricē uxorē
habere iussus est, ut apertam eorū impietatem hac
iij. ratione argueret, ac declararet. Et Hieremias ait.
,, Iustificauit animam suam auersatrix Israel com=
,, paratione præuaricatricis Iuda. Quid? quod Eze=
xvi. chiel non Samariam tantum, sed Sodomam etiam
ipsius Hierosolymæ sororem appellauit.

Q. XCIII.

c.xviij Quomodo intelligendum est illud, Veruntamen in
,, tempore senectutis suæ doluit pedes? Fusius, atque
xvi. apertius de tota hac re Paralipomenon liber poste
,, rior his ipsis uerbis disseruit. Aegrotauit etiā Asa
,, anno tricesimo nono regni sui dolore pedum uehe=
,, mentissimo: & nec in infirmitate sua quæsiuit
,, Dominum; sed magis in Medicorum arte confisus
est. Ego alterum è duobus existimo, hoc sanè loco
aut eos qui ueneficijs, & cantionibus utuntur, Me
dicorum uocabulo significari; aut Asam solis medi
cis confisum fuisse; in eisq; totam spem suam collo
casse: quod nulla ratione ei faciendum erat. Ii nāq;
qui pietate præditi sunt, Medicis ut Dei ministris

utuntur; (quũ optime sciant Medendi artem, quẽadmodum & cætera bona, Dei opt. max. donum, atque inuentum esse, qui è terra tot stirpes, et herbas hominum generi uniuerso utiles, ac salutares oriri facit) sed tamen illos minime fugit Medicorum artem Deo non iuuante nihil ualere omnino; sed tantum quantum ille uoluerit, qui omnia iusto, atque occulto iudicio regit, atque gubernat.

Q. XCIIII.

,, *Nõne audacis, atq; insolentis hominis uideri põt, quod ab Helia dictũ est. Viuit Dominus Deus Israel in cuius cõspectu sto, si erit annis his ros, et pluuia, nisi iuxta oris mei uerba? Immo uerò audacissimi, atq; insolẽtissimi hominis est huiusmodi cum animis suis cogitare; et præterea huiusmodi cogitata aduersus sãctissimos uiros, et Deo amicos eloqui. Vates enim erat, et uatũ Coryphæus: atq; hæc Diuino spũ concitatus, atq; inflãmatus dixit. Itaq; uerba eius maximæ, et diuturnæ efficientia fuere siccitatis.* C.xvij.

Q. XCV.

Qua ratione Helias, quum esset sanctus, & secundum Legem uitam suam instituisset, cibo sibi à Coruis allato utebatur? Ipsemet Legislator

cibum hunc per Coruos ei afferebat, qui illi præceperat ut in Torrente Charit se absconderet: pollicitus se ei per Coruos alimenta missurum. Stetit igitur promissis. Corui nanq; panem prima luce, carnem uerò uesperi afferebant. Hoc autem exemplo Legislator Deus nos docet, huiuscemodi leges propter imbecillitatem Iudæorum sè dedisse; à quibus tamen quandoq; discedere iussit. Sabbato nanque urbem Hierico Ducem ipsum Iesu Naue et Sacerdotes unà cũ Leuitis, ac toto populo sèpties circumire præcepit: atq; etiam ipsum Heliam cibum sibi à Coruis allatum capere uoluit: et ne longum sit, Samson, qui ob lasciuiam, atq; ebrietatem Diuina gratia nudatus est, quum dulcissimũ mel, quod in ore Leonis extincti Apes finxerãt, degustasset, in eo ipso minime tamen accusatus est.

Ios. vi. — iud. xiiij

Q. X C V I.

Quid est quod Dominus Heliam ad alienigenam uiduam ire præcepit? Id quoque huiusce generis Legum causas docet. Nam si Iudæorum mentem integram, fidemq; spectatam cõstantemq; nouisset, nulla profecto ratione illis præcepisset, ne se cum alienigenis hominibus commiscerent: sed cõtra edi

xiſſet, ut cum illis commercium haberent: illosq; de unius ac ueri Dei cultu, ac religione docerent. Deuter. Vij.
„ Idipſum nanque & Legis conſtitutæ cauſa ſatis
„ indicat. Quum enim dixiſſet. Filiam tuam non da
„ bis filio eius, nec filiam eius accipies filio tuo, ſub=
„ iecit. quia seducet filium tuum, ne ſequatur me: et
„ ut magis seruiat Dÿs alienis. Prophetam uerò, ut pote qui & ſibi, & alteri prodeſſe ſciret, non mo do non prohibuit; uerum etiam ire iuſſit.

Q. XCVII.

Vt quid Deus Viduæ unicum filium mori permi ſit? Propheta quum cibo ſatis, abundéq; uteretur, aliorum hominum calamitatem, inopiamq; prope= modum oblitus erat. Quapropter Viduæ ululatũ, quaſi nuntium qui illum humanæ miseriæ commo neret, ad eum miſit. Cuius rei causam propheta op
„ time noſcens, ait. Domine Deus meus etiam ne
„ uiduam, apud quam ego utcunque suſtentor, affli
„ xiſti; ut interficeres filium eius? Atque ita factum eſt, ut benignus, ac miſericors Dominus serui ſui, ac prophetæ mentem ad benignitatem, misericor= diamq; reuocaret. Nec id satis, ipsemet Dominus ad seruum, opifex ad lutũ legatus uenit. Poſt dies xviij.

,, *multos, inquit Historicus, factum est uerbum Do-*
,, *mini ad Heliam in anno tertio dicens. Vade, &*
,, *ostende te Achab, ut dem pluuiam super faciem*
terræ.

Q. XCVIII.

C.xviij *Cur Sacerdotes Baal Bouem eligere, & primos sa*
crificium facere Helias iussit? Ille qui uerus est
Deus, nullius horum indigens est. Ne igitur eru-
bescentes causarentur Baal Deum suum moleste la
turum, atq; indignaturum iri, si illi primum res
Diuina non fieret; primas illis facile concessit. sed
quum ne hac quidem ratione quicquam proficerēt
ps.cxiij *(simulacra enim Gentium argentum & aurum,*
" *opera manuum hominum; aures habent & non au*
,, *dient) illos cauillatus dixit. Clamate uoce maiore.*
,, *Deus enim est; et forsitā loquitur; aut in diuerso-*
,, *rio est, aut in itinere; ut certe dormit, ut excitetur.*

Q. XCIX.

Ca.xix. *Quæ causa fuit, ut Helias uir tali dignitate, ac uir*
tute præditus Iezabelem formidarit? Homo nimi
rum erat; & non tantum propheta: atque etiam
formido illa uiro tali Diuina prouidētia incutieba
tur; ne uidelicet miraculorū præstantia ipse de se

elate ac superbe existimaret: simulq; ut propriã imbecillitatẽ, fragilitatemq; humiliter, demisseq; uideret, atq; agnosceret. Ob id ipsum septem milia hominum qui ab impietate liberi essent sibi superesse testatus est Dominus. Ad hæc ut illum aperte, perspicueq; admoneret, Humanum genus clementia, mansuetudine, humanitate potius, q̃ seueritate, ac duritate regendum esse, atque ad ministrandum.

IN LIBRVM QVARTVM REGVM QVAESTIONES.

Q. C.

Capi. i. Quo modo intelligendum, Præuaricatus est autē Moab in Israel, postquam mortuus est Achab? Moabitæ ut pote subiecti Achab tributa conferebant. Postquam autem ille ex hominum uita demigrauit; Moabitæ tributa ferre desierunt: atque ab eo defecerunt.

Q. C I.

Nonnulli Heliam crudelitatis accusant, quod duos principes una cum quinquaginta illorum militibus cælesti igne cremari uoluerit. Qui Heliam accusant, Deum accusant: Ipse enim in illos ignem de Cælo immisit. Temerarij igitur, & audacis est de Diuina prouidentia, ac uoluntate queri. Diuinæ nanque prouidentiæ Iustitiam & scire, et laudare oportet. Illud uerò luce ipsa clarius esse nemo non dixerit, Principes illos unà cum militibus suis cum nequissimo Rege sensisse; atque in eadē uolun-

uoluntate fuisse: unde et Diuinitus iniectas plagas acceperunt. Tertius uerò princeps alienis plagis melior factus, & moderatione ornatus, supplicibus uerbis ac manibus grauissimā plagā euitauit.

Q. C I I.

,, Quid sibi uolunt uerba illa, Pater mi, pater mi, Capi. ij.
,, Currus Israel, & auriga eius? Cæterarum gentium Reges equis, & curribus fidentes, in acie, et ferro uersabantur. Ob id magnum Heliam currū Israel, & aurigam appellauit, utpote qui solus satis esset ad hostes prosternēdos, fundendos, occidēdos, & ad uictoriam tribulibus suis portandam.

Q. C I I I.

Quid ita Heliseus amaras aquas, ac pestilentes sale coniecto sanauit? Moyses ille magnus amaras aquas ligno iniecto dulcescere fecit. Facile est enim præpotenti Deo et uoluntate, et uerbo quoquo modo uoluerit elementorum naturas immutare. Cap. iij. Ex. XV.

Q. C I I I I.

,, Quomodo accipiendum est illud, Nunc autem ad=
,, ducite mihi Psaltem? Diuinus ille Dauid et prophetico, & Regali nomine dignus habitus, tum Sacerdotum ministeria, tum uerò sacerdotes secundum i. Parali. Vi. xxv.

E

Diuinam legem tubis uti constituit: Leuitas uerò Citharis, ac psalterijs & Cymbalis, Diuina mysteria concinentes, Vniuersarum rerum Creatorē, principem, gubernatorem, finem bonorum, quo referuntur, & cuius causa facienda sunt omnia, carminibus ab ipso Deo per Dauidem factis omni laude celebrare atq; extollere. Heliseus itaque quum Leuitam ad se adductum psallentem audiret, continuo cælesti, ac Diuino Spiritu afflatus quid agendum esset significauit.

Q. C V.


,, Quomodo intelligendum est illud, Et facta est indi
,, gnatio magna in Israel? Moabitis funditus occisione occisis, illorum Rex fuga saluti consulere nitebatur: fugam fortissima acies interclusit: quū quid faceret non haberet, filium primo sibi genitum, quem successorem habebat, super murum immolauit. ob tam crudele facinus uehementer indignati sunt Israelitæ, quod uidissent eò Regem redactum, ut filium immolaret: atq; ita obsidione urbē illam liberarunt.

Q. C V I.

Ca. iiij. Quem nam mulier intellexit, quum ait. Seruus tu-

„ us uir meus mortuus est? Abdiam intelligit, qui cu
rationem, et dispensationem regiam suscepit: quis- iij. Reg.
que insigni pietate ornatus prophetas centũ in spe xviij.
luncis abscondit: & pauit eos pane & aqua: ex
quo prophetarum alendorum causa æs alienum su
scipere coactus est. Mulier uerò quum soluendo nõ
esset; ad Helyseum confugit; qui illam oleo Diuina
potentia multiplicato, atq; diuendito, omni ære alie
no liberauit. Cæterum uel ex hoc loco quiuis facile
possit ediscere, in omni rerum statu, ac loco unum
quenq;, Deo iuuante, probe, ac recte facere, & ho-
neste, id est cum uirtute, uiuere posse. Talis erat
Abdias regnante sceleratissimo Achab. Huiusmo iij. Reg
di fuerunt septem illa millia hominum, quæ genua xix.
ante Baal non flexerunt. Huiusmodi deniq; (ut in-
numerabiles penè alios omittam) mulier illa su-
namitis.

Q. C V I I.



Quid sibi uult mulier illa sumanitis, quum ait. iiij. Re.
„ In medio populi mei habito? Otio, inquit, oblector, iiij.
& nec mini negotium facesso: ut in perpetua pace
esse possim prouideo, atque contendo.

Q. CVIII.

Ca. vi. *Fimus Columbarum quem nam usum afferebat? Iudæi quum ui, ac ferro obsessi tenerentur; ac prorsus nihil adesset, quin fame necarentur; fimo Columbino in salis loco utebantur.*

Q. CIX.

Ca. vij. *Qua ratione dictum est, Recessit ergo Edom ne es*
,, *set sub Iuda usq; ad diem hanc? Vniuersorum Do-*
,, *minator Deus iam ante per sanctissimum illum Pa*
Gene. *triarcham prædixerat, Viues in Gladio, & fratri*
xxvij. *tuo seruies: tempusq; ueniet quum excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. Idumæi igitur quamuis superati, seruitutis tamen iugum excusserunt: neque præterea in Iudæorum ditione, atque imperio esse uoluerunt.*

Q. CX.

Ca. ix. *Vt quid Heliseus Ieu per aliũ prophetã ad Regnũ unxit, atq; elegit? Id clã fieri oportebat, ut breui tẽpore Iorã de medio tolleretur. Id enim si præscisset, sine ulla dubitatione præliũ cõmisisset: atq; ita fieri nõ poterat, qn multi utraq; ex parte trucidarentur.*

Q. CXI.

Cur Eliseus Prophetæ illi edixit, ut simulac Ieu

unxisset, in fugam sese daret? Vt ne comprehensus periclitaretur. Vult enim Deus homines ratione præditos humana ratione, atque ingenio uti.

Q. C X I I.

Qua ratione prophetam insanum appellarunt? Huiusmodi flagitiosorum hominum peruersi moris est, sanctos, ac Religiosos Dei seruos contumelijs, atque conuicijs insectari. Insanientes uerò prophetas appellabant, utpote qui licentia, libertatéq; dicendi uterentur.

Q. C X I I I.

Quis nam erat Ionadab filius Rechab? Pius uir et Capi.x.
ipsé fuit, & genus eius. In tabernaculis nanq; uitam continenter agebant: & à uino se se abstinebant. Horum itaque Hieremias mentionem honori xxxv.
ficam facit: atque etiam ipsa hæc historia insignẽ illius pietatem declarat. Nam & Rex simulac illum sibi obuium habuit, ei bene precatus est: deinde illum sciscitatus est, "Nunquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? quumq; ille dixisset, etiam. ait illi Ieu. Da manum tuam. tum etiam illum sibi assidere fecit: dixitq; ad eum. Veni mecum: & uide zelum meum pro Domino,

Cap.xi. *Qua de causa Athalia ne nepotibus quidem peper cit? Ut impia atq; Tyrannica totum Dauidis genus, utpote quod pietate, ac religione præstaret, excindere, ac delere uolebat: ut quum Regiam potestatem obtinuisset, populum suum impietatem, ac scelera doceret. sed ille princeps Deus, qui uniuersa sapientissime moderatur, populo suo bene cõsuluit. Athaliā enim de mèdio sustulit; et Ioiadam sapientissimum sacerdotem populo moderatorem dedit; usque dum Ioas Regalem potestatem adeptus est; quam tandiu optime gessit, quandiu Ioiadam sacerdotem uiuendi, atque regendi doctorem habuit.*

Q. CXV.

Ca. xij. *Quomodo intelligendum est, Omnem pecuniam ,, sanctorum quæ illata fuerit in templum Domini à ,, prætereuntibus quæ offertur pro prætio animæ? ,, Ut apud Mosēn in Exodo legimus, ij qui iam uixxx. gesimum annum nati erant, dabant in singula capita dimidium sicli: unde uictimas illas emebant, ex quibus sacrificium illud perpetuum Deo fiebat.*

Q. CXVI.

Vt quid moriturus propheta ipsi Ioas Regi Israe- lis futuram uictoriam arcu, & sagitta indicauit? Non eandem fidem uerbis, quam rebus ipsis præ- stabant. Quare & arcum intendere, & sagittam illi iactare iussit. ca. xiij.

Q. CXVII.

Quænam urbs est Aila? Ea est quam nunc Elam uocant. Est autem in ipso aditu, atque ore Ara- bici sinus, quem alio nomine Rubrum mare ap- pellant.

Q. CXVIII

Quanam de causa Ionæ prophetiam, cuius men- tionem hoc loco historicus facit, in ipsius Ionæ uolumine non habemus? In illo uolumine quod nunc habemus, illa tantummodò scripsit, quæ ad Niniuen pertinebant. Idcirco prophetiam illam, cuius hoc loco historicus meminit, cum rebus quæ ad Niniuen attinebant, minime co- pulauit. Ca. xiiij

Q. CIX.

„Quomodo intelligendnm est illud. Insuper & fi- „lium suum consecrauit, transferens per ignem C. xVi.

,, ſecundum Idola gentium? Ioſephus ſanè ſcriptum reliquit, Regem unum è filijs suis Baali Sidoniorum Deo immolaſſe. Meo autem iudicio, atque sententia his ipſis uerbis erroris, ac superſtitionis quoddam genus ſignificatur: quo quidem in errore multæ gentes usque ad ea tempora perſeuerarunt. Vidi enim quibuſdam in urbibus rogum ardentem quotannis semel in plateis extructum; et hunc uiros quosdam unà cum pueris tranſilientes, infantes uerò à matribus per furentem flammam tranſlatos. Quod ſanè erroris, atque superſtitionis genus illis gentibus piaculi loco habebatur.

Q. C X X.

Cui nam Deorum aram extrui Diuino in templo Achas iuſſit? Haud quaquam, ut mea fert opinio, Vniuerſorum principi, atque effectori Deo, sed falſis exterarum nationum, & gentium Dijs. Id ipſum enim Paralipomenon posterior liber aperte

xxviij. ita declarat. Inſuper & tempore anguſtiæ suæ au

,, xit contemptum in Dominum ipſe per ſe Rex

,, Achas. Immolauit Dijs Damaſci uictimas percuſ-

,, ſoribus suis; & dixit. Dij Regum Syriæ auxilian-

,, tur eis, quos ego placabo hoſtijs, & aderunt mihi:

,, quũ è cõtrario fuerint ruinæ ei, et uniuerso Israel.

Q. CXXI.

,, Quid sibi uolunt uerba illa. Et ædificauerunt sibi C.xviij
,, excelsa ab urbe custodiæ usque ad urbem munitã. In omni, inquit, loco aras Dijs gentium consecrarunt: neque in urbibus, & castellis tantum, sed in turribus etiam quæ in uia erant: in quibus pauci quidam uigilias agebant. Hoc sanè loco Deorum lucos excelsa nominauit.

Q. CXXII.

Quid fuit causæ cur Ezechias Assyriorum Regi munera se daturũ polliceretur? Achas pater eius quũ à Theglathphalasar aduersus Syros auxiliũ petijsset, tributum se collaturum promisit. Ezechias uerò paternis promissis minime satisfecit. Conspecto uerò exercitu laturum se promisit, & trecenta talenta argenti, & auri triginta transmisit.

Q. CXXIII.

Cur quum Deum tã sanctè, ac piè coleret Ezechias, è sacra pecunia tributum tulit? Regis thesauri nõ satis erant. Mos autem erat, ut quum necessitati parendum esset, ne sacrosanctis quidem pecuniæ the

ſauris parcendum exiſtimarent: deinde illos ex ho ſtili præda, manubyſq; supplerent.

Q. CXXIIII.

ca. xx. Qua nam de cauſa Ezechias Rex reprehenſus eſt, quod theſauros regios Babyloniorum legatis oſtenderit? Quia quum Diuinam potentiam, beneficentiamq; erga ſe declarare debuiſſet; ipſe diuitias, rem uidelicet breuem, fugacem, fragilem, caducamq; oſtentarit.

Q. CXXV.

ca. xxi. Quomodo accipienda ſunt illa uerba, Et extendam
,, super Hieruſalem funiculum Samariæ? Eiſdem, in
quit, hos quoq; calamitatibus afficiam. Vt Samaritanorum alios fames, ac bellum couſumpſit; alios uerò, qui superſtites fuerant, captiuos in alienam terram tranſtulerunt; ſimili modo in Hieroſolymorum habitatores animaduertam: & ſicut domum Achab occiſione occidi; ita ipſius Hieroſolymæ gloriam, ſplendoremq; obſcurabo.

Q. CXXVI.

xviij. Vt quid huius hiſtoriæ scriptor Ezechiæ, Ioſiæq;
xxiij. Regibus parem, eandemq; laudem tribuit? De Ezechia nanq; honorificum illud Elogium literis

„ consecrauit. Itaque post eum non fuit similis ei de
„ cunctis regibus Iuda; sed neque in ijs qui ante eũ
„ fuerunt. De Iosia quoq; in eandem fere sententiam C.xviij
„ his ipsis uerbis scripsit. Similis ei non fuit ante eũ
„ Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde
„ suo, & in tota anima sua, & in uniuersa uir-
„ tute sua iuxta legem Moysi: neque post eum surre
xit similis illi. Neque illum huic, neque hunc illi
comparauit: sed alijs qui pietate illustres habeban
tur, ut Asæ, ut Iosaphath, ut Ioatham: atque ita hos
cæteris longe præstantiores esse ostendit. Quod si
quis uerba, & literas sequi, uoluntatẽ uerò scrip-
toris negligere uoluerit; eodem elogio Dauidem i. Reg.
quoque laudatum inueniet: sed enim ea quæ xiiij.
dixi sole illustriora, & clariora sunt. Ne- xv.
que enim Ezechiam Dauidi, neque Io-
siam Ezechiæ, & Dauidi prætu-
lit: sed cum alijs pietate,
ac religione præditis
comparauit.

BASILII ZANCHI IN PRIOREM PARALIPOMENON LIBRUM QUAESTIONES AD HIERONYMUM SAULIUM ARCHIEPISCOPUM BARIENSEM.



RINCIPIO, Hieronyme Sauli, quod nam huiusce sacræ historiæ argumentum sit, inscriptio ipsa declarat. Nã, ut suprà dixi, Paralipomenon libri inscribũtur, ex eo quia quæcunque in quatuor Regum libris relicta, prætermissaq; sunt, in his duobus ex uarijs Diuinorũ Prophetarum monimentis conquisita, atque collecta continentur. Multa tamẽ quæ in Regum libris explicantur, in his quoq; ob seruandam historiæ concinnitatem, ac seriem memorantur. Altius uerò à Genealogijs scriptor orditur; & humani gene-

ris primordia repetit:ut breuiter, summatimq; ostendat, omnes nationes, ac gentes ex uno, atque eodem homine ortum habuisse. Et quia solius regni Iudaici mentionem facit, docet quæ nam huiusce Regni fuerint ciuitates, et oppida; tũ etiam ex qbus nomẽ inuenerint. Cæterum huiusce historiæ scriptorem post Hierosolymã à Nabuchodonosore captam, populumq; in Babylonẽ captiuum ductum, atq; a Cyrò Hierosolymam remissum, fuisse, facile intelligi potest ex eo, quod & populi captiui, & demum liberati, atque in patriam remissi, mentionem fecit: & huiusce rei causam explicauit. Nullus enim unquam rerum explicator, ac pronunciator, futurarum rerum historiam scripsit: sed aut superioribus annis, aut sua tẽpestate res gestas literis, memoriæq; hominum sempiternæ commendauit. Ventura enim intelligere, præuidere, atque prædicere, hoc est unum prophetarum maxime proprium.

Q. C X X V I I.

Ca. ix. *Quid hoc nomine Nathinæi declaratur? Nathinæos appellatos fuisse arbitror eos qui sacris rebus nuncupati erant. Complures enim seipsos sa-*

cerdotibus, ac Leuitis mancipabant: ut uel hac ratione sacris rebus inseruirent. Per legem enim Diuinam licebat eos quoq; qui ex Leuitica tribu nō essent, & aquam, & ligna, aliaq;, quæ sacerdotū ac Leuitarum usui erant, comportare. Nam si Gabaonitas alienigenas homines Iesus ille laude celebratus Diuino Tabernaculo deseruire iussit; quanto magis hominibus Israelitis huiuscemodi ministerium congruens erat? Ios. ix.

Q. XXVIII.

Vt quid Deus Obededom hominē alienigenā maximis beneficijs affecit, atq; ornauit? Vt quiuis hoc audiens, aut legens perspicue intelligere posset, neutiquam in Deo Opt. max. Israelitæ, aut alienigenæ hominis discrimen esse; sed solam pietatem, ac religionem in uno quoque homine illum spectare, amare, beneficijs denique complecti, atq; illustrare. Hos Diuinæ benignitatis, et beneficentiæ fontes Diuinus ille Dauid animaduertens, tribus mensibus exactis sacram, religiosamq; Arcā continuo in Regiam maxima cum pompa, & totius populi celebritate Leuitarum humeris deportandam curauit. Ca. xiij.

C. xx. *Quid sibi uolunt uerba illa, Multum sanguinem ef*
,, *fudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædi*
,, *ficare domum nomini meo, tanto effuso sanguine*
coram me? Hæc ipsa uerba, ut ego arbitror, ad eo-
rum utilitatem dicta esse uidentur, qui iniusti ho-
micidij reos se esse non ignorant. Neque enim iusti
Nu. xx. *homicidij Regem insimulasset ille, qui ipsius Phi-*
xv. *nees iustum homicidium sacrificij nomine dignũ*
,, *duxit. Phinees, inquit Deus, filius Eleazari filij*
,, *Aaron sacerdotis auertit iram meã à filijs Israel:*
,, *quia zelo meo commotus est contra eos, ut nõ ipse*
,, *delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere*
,, *ad eum. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tã*
,, *ipsi q̃ semini eius pactum sacerdotij sempiternũ:*
,, *quia zelatus est pro Deo suo: & expiauit scelus*
Psa. cv. *filiorum Israel. Et ipse David sacro carmine eum*
,, *celebrauit. ait enim. Et stetit Phinees, & placauit:*
,, *& cessauit quassatio: & reputatum est ei in iusti*
,, *tiam in generatione & generationem usq; in sem*
,, *piternum. Moyses quoq; Legislator tria millia ho*
,, *minum, qui Vitulum uenerati erant, Leuitis mini-*
,, *stris usus interfecit. Quid? Samuel ille magnus nõ*

ne manu

ne manu sua Agag regē trucidauit? & Helias il- iij.Reg.
lustris octingētos quinquaginta uiros occidit? Alia xviij.
igitur de causa non ipse Dauid, sed filius eius So-
lomon Diuinum templum, ædificauit. Nam quia
Dominus IESVS CHRISTVS ex qua parte ho-
mo est, Dauidico genere natus est, & Dauidis fi-
lius appellatur; ex qua parte uerò Deus est, non Da
uidis tantum, sed uniuersarum etiam rerum Domi
nus est, toto orbe terrarum Ecclesiam, quæ templū
Dei & est, & nominatur, conditurus erat; Daui-
dem Iudaicum templum ædificare prohibuit: sed
ad eam rem Solomonem illius filiū reseruauit. Cu-
ius sanè nomen Pacem illam, quam Seruator mūdi
inter Deum, & homines conciliauit, præsignifica
bat. Eius nāq; nominis imterpretatio Pacificatorē
siue Pacificum sonat. Dominus autem noster Pax
in Diuinis literis nominatur. ut apud Diuum Pau- Ephe.ij.
lū. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unū.

Q. CXXX.

Asaph, & Aeman, & Idithun psallentium tan- Capi.
tummodo Principes, an etiam Prophetæ, quod nō- xxv.
nulli negarunt, fuere? Hi quoque uaticinandi gra-
tia, ut opinio mea fert, ornati fuere: id quod ex his

,, quæ sequūtur, facile perspici potest. sub manu A=
,, saph prophetantis. Et, sub manu patris sui Idi=
,, thun, qui in Cithara prophetabat super confiten=
,, tes & laudantes Dominum. Itemq;. Omnes isti fi=
,, lij Heman uidentis Regis in sermonibus regis, ut
,, exaltaret cornu. Et alio loco. Porro cantores filij
,, Asaph stabant in ordine suo iuxta præceptum Da
,, uid, & Asaph, & Heman, & Idithun propheta=
rum regis. Neque uero illud silentio prætereundū
est ipsum quoque Asaphum carminibus suis Deū
celebrasse, quæ post modum una cum carminibns
Dauidicis in templo canebantur: id quod ex poste=
xxix. riore Paralipomenon libro didicimus. Præcepitq;
Ezechias, & principes Leuitis, ut laudarent Do=
minum sermonibus Dauid, & Asaph uiden=
tis. Vt illuc facile quis adduci possit, Asa=
phum partem aliquam in uolumine
Psalmorum habere, ut sunt
illi qui Asapho inscri=
buntur.

IN POSTERIO-
REM PARALIPO-
MENON LIBRVM
QVAESTIONES.

Q. CXXXI.

VNDE Hiram Rex Tyri Deum Israelitarũ Cæli, & Terræ creatorem, atque effectorem esse cognouit? Nimirum ex consuetudine, ac familiaritate quæ illi cum sanctissimo Rege ac Vate Dauide fuit. Neque uerò is tantummodo Deum uerum cognouit, uerum etiam illi maximas gratias egit, quod huiusmodi filium ac Regem Regi Dauidi amico suo dedisset: qui & sapientia, & prudentia præstabilis, atque insignis esset: quiq; Diuino nomini templũ consecraturus esset. Huiusmodi nempe iucũdissimi fructus ex sanctorum hominum amicitia, consuetudine, congressu, sermone denique percipiuntur. Capi. ij.

Q. CXXXII.

„ Quid his uerbis significatur, Et non acquieuit po „ puli precibus: erat enim uolũtatis Dei ut comple- Capi. x.

,, retur sermo eius, quem locutus fuerat per manũ
,, Abiæ Silonitæ ad Hieroboam filium Nabat? Qui Diuina prouidentia gubernantur, ij quid agendũ, quid ue faciendum sit optime norunt: à Deo uidelicet sapientes effecti. Quos uerò Diuina gratia non tuetur, ac regit, hi nimirum pleni inconsideratissimæ temeritatis non delectu aliquo, aut sapientia ducuntur; sed fere omnia sine iudicio, uel modo faciunt. Hac autem regni diuisione in duas partes distributa, & Vitulis aureis fabrefactis, sacerdotes qui erant in decem Tribubus unà cum Leuitis in regiam Dauidis Tribum sese transtulerunt: in illa namq; Diuinum templum extructum erat. Cæterum sacerdotes, ac Leuitas ex cunctis Tribubus uiri pietate ornati secuti sunt. ait enim.
,, sed & de cunctis Tribubus Israel quicunq; dederant cor suum ut quærerẽt Dominum Deũ Israel,
,, uenerunt in Hierusalem ad immolandum uictimas
,, suas Domino Deo patrum suorum.

Q. CXXXIII.

Capi.. Qua nã ratione quũ Arca intus esset in sancto sanctorũ, Iosias Rex Leuitis locutus est. Ponite Arcã
xxx V.
,, in sanctuario Templi quod ædificauit Solomon fi-

lius David Rex Israel? Vt opinio mea est, Assyriorum Rex quum regnante Manasse urbem Hierosolymam cæpisset, Arcam quæ intus erat exportauit: aut unus aliquis de impijs Regibus qui post Ezechiam fuerunt, ut Manasses, ut Amon, id detestabile atque nefarium scelus fecit: Iosias deinde Rex religiosus, ac pius re perspecta, ac cognita in eum locum ex quo exportata erat, restituendam curauit. Atque hæc sanè erant, Hieronyme Sauli, quæ, te maxime hortante, à nobis in quatuor Regum, & duos Paralipomenon libros in præsenti, adiuuante Deo, scribenda erant.

iiij. Re. xxi.

FINIS.

BASILII ZANCHI

DE HORTO SOPHIAE LIBER PRIMVS AD PETRVM BEM- BVM CARD.

QVAE superis mentem inspirans mortalia corda
Illustras, Lux uera hominum, lux uera Deorum,
Tu Patris æterni Sophia, tu Flamine sancto
Aspira: propiorq; animum, uiresq; ministra:
Te canimus, sedesq; tuas, sedesq; tuorum.
Tuq; adeo decus Ausoniæ, sanctiq; senatus
Præsidium, quem purpureo diademate sacros
Intectum crines totis pater Adria circum
Littoribus, totisq; sonat uetus Albula ripis,
Huc ades, & Sophiæ mecum spatiare per Hortum
Bembe pater: sic te dulci requiescere in umbra
Felicis Horti, & suauis decerpere fœtus,
Insignemq; tibi uideam texisse coronam.
VT quondam emenso pelagi intractabilis æstu
Exultat Nauta: & puppi speculatus ab alta

V icinam læto terram clamore salutat:
A tq; ubi iam patriam, portusq; intrauit amicos,
P ræteritos narrare iuuat per singula casus:
A nte tamen uarijs puppim circundare sertis,
E meritam puppim nouit, quæ gurgite in alto
A equoream uicit rabiem: uotisq; potita
A ppulit errantem patriæ in confinia nautam:
S ic ego post uarios terræq;, marisq; labores,
L aurea seruatæ connectens serta carinæ,
L ætitia exulto: quum te pulcherrime rerum,
Q uem sophia æternumq; colit, firmatq;, fouetq;,
H orte adij: subijtq; tuos iam tuta receptus
C lassis: & optatam ualuit contingere metam.
O' mihi tantorum requies, finisq; laborum,
V eraq; pax animi, & mentis syncera uoluptas,
H esperidum tibi assurgant fulgentia mala:
E t tibi Phæacis cedant pomaria Regis:
C edant et Cyri dites, & Adonidis horti:
N ec tibi Cecropio certet Gargettius horto.
H aud secus Hebrææ caput, & noua gloria gentis,
P ost domitas bello gentes, uictriciaq; arma,
V t primum solymos fines, ubi lacteus humor
P rofluit: & dulci distillant nectare quercus:

P romiſſam calcauit humum: promiſſaq; regna
O btinuit: lætus tandem felicia culta
S orte dedit: lætus meritos ſacrauit honores.
Q uippe decem uix dum luſtris labentibus annos
P aruulus expleram; quum me mens alta Tonantis
A dmonuit suetas poſt terga relinquere ſedes:
F inibus Italiæ extremis qua clara, potenſq;
V rbs impoſta iugo liquidas deſpectat in undas:
Q ua pater aurato ſtringit loca pinguia cornu
S errius: & riguo præterfluit arua meatu:
E t procul à dulci patria, laribusq; paternis,
P er uada, per ſcopulos externa inuiſere regna.
A c primo applicui, Tyrrhenum euectus in æquor,
Q uæ loca gemmatis habitant Acheloides alis.
Q uarum etiam illectus ſtudijs, atq; arte canendi,
N octes, atque dies ipſarum carmina, & ipſas
M irabar tacitus: demum aſſuetudine longa
P aulatim molles irrepſit flamma medullas.
E t iam ſigniferum Phœbus duodena per orbem
A ſtra peragrarat quino permenſus ab ortu:
Q uando ego cultor adhuc domibus uerſabar in iſtis:
Q uoq; magis fueram blande ſuſceptus amator,
H oc magis urebar: totiſq; incendia uenis,

A h nimium incautus, ſemper grauiora ſouebam.
Q uum tamen hinc demum furtim diſcedere uellem,
N on potui celare fugam: quin limine in ipſo
V na mihi ante alias uirgo dilecta ſorores
P arthenope implicuit dulci circundata collo
B rachia: meq; amēs properantem hac uoce morata eſt.
Q uo fugis ah fallax? hæc ne eſt data dextera dextr?
H æc ne eſt pacta fides? ſic me periure relinquis? æ
N ec te noſter amor, nec te communia tangunt
H oſpitia. o cuperem nunq̃; hoc ut littus adiſſes.
A t memini infelix, canerem quum rupe ſub alta
Q ua Paphiæ dilecta Deæ lætiſſima Myrtus
O ſtentatq; comas; longosq; in flumina ramos
E xplicat irriguo ſubter labentia curſu:
A t memini infelix, mihi tu iurare ſolebas.
H æc uicina prius ſubiectum ſaxa per æquor
I nnabunt: prius hæ neglecto more fluentes
I n fontem labentur aquæ: q̃; grata peroſus
O tia de ueſtris auſim decedere tectis.
H æc, & plura mihi emodulans pulcherrima ſiren,
C rebraq; per uarios iterans ſuſpiria queſtus,
D ixerat: & lachrimis languebat mœſta profuſis:
E t ſua uicinæ narrans diſpendia ſyluæ

D ulcia flebilibus modulatur carmina neruis.
Q uam circum doctæ sistunt de more sorores:
E xceptosq́; iterant numeros: nemus omne resultat:
F luminaq; auditas referunt miserata querelas.
H as tamen illecebras, atque hæc retinacula, et istas
S irenes tandem effugi: rursusq́; per undas
E xul agor: spatiumq́; ingens iam mensus abibam:
Q uum procul è pelago Vulcania cernitur Aetna:
A etna repercussis longe exaudita cauernis:
A etna grauem Enceladi flammis testata ruinam.
H eu sors dura hominum, per tot discrimiua, per tot
H orrentis pelagi scopulos agitanda periclis.
N anq; uiæ ignarus diras diuertor in oras,
Q ua ferus ingenti recubans Polyphemus in antro,
E bibit humanam saniem: dapibusq́; cruentis
V escitur; & stimulante fame insatiabile guttur
S anguineis uiuos degustat dentibus artus.
I lle ubi me infames sensit contingere ripas,
A duocat horrendos fratres: clamoribus Aetna
M ugijt, & piceam uomuit tremefacta fauillam.
A t subito acciti siluis Cyclopes ab altis
P ræsto adsunt: uersusq́; ratem sine more furentes
T errifico ingressu uestigia longa mouebant. T

I *pse autem trepidus Diuis in uota uocatis*
A *ccelero inde fugam: Nautæ solito ordine remos*
C *orripuere suos: ast ipse ingentia monstra*
I *amq; nihil metuens puppi speculabor ab alta:*
Q *uum subito exurgens pluuio Notus ater ab axe*
I *mpulit incautum iuxta Scyllam, atque Charybdim,*
M *onstra maris magni, & pandis non æqua carinis.*
H *ei mihi, continuo latratibus omnia circum*
C *omplentur: uideoq; canes astare marinos.*
E *ripui me me; sed cum iam tutior irem,*
E *t mecum exactas uersarem mente procellas,*
S *æuior incubuit rabies: pelagoq; refuso*
T *urbida me Libycis tempestas appulit oris.*
Q *uoq; magis dura infelix statione dolerem,*
I *n breuia, & syrtes ueni; loca pessima syrtes,*
S *emper inaccessas syrtes. Ibi plurimus Auster*
E *gressum multo compleuit puluere pontum.*
N *ec minus interea fundo commotus ab imo*
C *onfestim incumbens densarum campus aquarum*
C *onfudit bibulas terræ sitientis arenas.*
S *icq; reluctantes commoto gurgite uenti*
N *ubibus inuoluunt Cælum: miserabile uisu,*
P *ars sedet una ratis terra: pars altera duram*

P erpetitur pelagi molem. demum improba cessit
D iluuies: latumq; maris transgressa recessum
T orpentem Tritonis adit mea cymba paludem.
N on procul hinc templũ, quod corniger accolit Ammon,
I nculti Garamantes habent: ubi sola uirentes
S ilua gerit ramos: loca cætera feruor adurens
N on patitur teneras radicem affigere plantas.
Q uo postq; ingressus ueni: uideo omnia circum
S cintillare uagis incensa altaria flammis.
S uspiciensq; alte media testudine clarum
A dmirabar opus: quod quondam Mulciber ipse
F ecerat: inq; sui obtulerat delubra parentis.
H ic primo astabat rerum Natura creatrix:
M ateriamq; rudem uarijs componere formis
N orat: & ipsa illas ex se imperfecta petebat;
V t mulier petit ipsa mares, ut turpe decorum.
H ic terras, tractusq; maris, Neptunia regna
F inxerat: & uarios cæli septemplicis orbes.
A bstrusas etiam rerum producere causas
S ub lucem conatus erat: & fingere in auro.
H inc me digressum centenis urbibus ingens
E xcipit Ionio circum uallata profundo
C reta, Iouis nutrix, atque immortale sepulchrum.

H inc Cnoson, Lyctonq; simul Minoia regna
A spicio: & medijs fulgentes Cycladas undis.
H inc etiam Idæi sacrata cacumina montis
A pparent: castamq; colens Dictynna Dianam.
I nde alto inuectus pelago properante carina,
P rospicio umbrosis uiridissima littora Myrtis,
L ittoráq;, & Paphias candenti è marmore Turres:
I daliumq; nemus: grauidamq; Amathunta metallis:
H æ sedes Erycina tibi Dea nata profundo:
H æc Cypros, Salamisq;. Hic me circunstetit omnis
H umida gens ponti, Phorcusq;, & maxima Cete,
T ritonesq; uagi, atq; extrema Anthedone Glaucus
E uboicas linquens sedes. hic Tethyos undis
D eceptos late exululans deflebat amores.
Q uem prope Nympharum chorus Oceanitides omnes
A stabant: una ex illis miserata furentem,
D um cupit insanos uerbis lenire furores,
S emidei in faciem cultus defixa nitentes
H ausit Acidalium traiecta per ossa calorem.
H as inter uarias facies, atq; agmina circum,
T ris luces, totidemq; simul sine sidere noctes
E rraui: laxansq; citis mea carbasa uentis,
P ost longos flexus, errataq; cærula ponti,

P hœnissas tandem gentes, Chaldæaq; regna
A fferor, & syriæ fœlices germine campos:
Q ua Tigris celeri cursu rapidissimus, & qua
E uphrates late pelago socia agmina iungunt.
H inc ego naue leui nitens exinde per altum
D euehor Euphratem: donec placidissima tellus
O ccurrit: triplici tandem se attollere tractu
V isa mihi tellus. fessam hic subducere puppim
S tat mihi; & optato tandem succedere portu:
H ic labor extremus. Tum me spectare putabam
F elices illos saltus, sedesq; beatas
F ortunatorum nemorum, quæ prisca Vetustas
E xtulit, & celebri perduxit ad æthera cantu.
Q uid primum, mediumue canam? quo carmine laudes
E xpediam Terra alma tuas, & amoena uireta,
I ngeniumq;, situmq; loci, Cœtusq; piorum?
E S T felix regio, & liquidi plaga lucida Cæli,
Q ua Titan radijs lucem uehit; & face prima
A ethiopum populos, & rubræ Tethyos undas
I nficit. Hic roseo semper nitidissimus ortu
O stentat sese: & sublimi uertice summa
A stra ferit, Cælo, & terræ spectabilis Hortus.
H unc omnes Cælo geniti, ac uitalibus undis,

Q *ueis ſacræ leges, diuinaq; nomina cordi,*
C *ontendunt petere: & dulces uertuntur ad oras.*
P *ars pedibus terras carpit: pars arduus alto*
I *nuehitur curru: pars remis cærula pulſant.*
H *ic aliæ super, atque aliæ fulgentibus hærent*
P *arietibus ſcalæ; atque ingentia limina tangunt*
I *ngentes ſcalæ; atque ingentia limina centum*
D *educunt. Muri immanes, & Iaſpide fulua*
E *xtructi, liquido conſtant auro, atque argento.*
I *pſa autem Eois circum uariata lapillis*
F *undamenta iacent; ſolidoq; Adamante reſidunt.*
I *nterior ſecto diſtinctus limite quadrat*
B *iſſena amplexus ſtadia aſpectabilis Hortus.*
Q *uattuor huic biſores panduntur ad æthera portæ:*
V *eſtibulumq; ipſum, & gemmantia limina lucent.*
A *ltera candentis reſpectat lumina Phœbi*
P *orta auguſta, ingens, & Iaſpide clara nitenti.*
H *inc micat extremo lectus Carbunculus Indo:*
H *inc radiat Medis late Saphirus ab oris.*
A *ltera quæ gelidam ſeſe conuertit ad Arcton,*
R *eſplendet longe uiridi cum luce ſmaragdo:*
S *ardonycheq; mitet: cognato & nomine Sarda.*
T *ertia ſed medio quæ limina ſole tepeſcunt*

Necnon

A urea Chrysoliti collustrant lumina, & aureo
F ulgore insignis rubra Beryllus ab unda:
N ecnon & uiridis collucet gemma Topazi.
V ltima fumantes spectat quæ ianua currus
P hœbe tuos: quum iam Tethys grandæua cadētem
E xcipit: & uitreis fessum complectitur ulmis;
C hrysopraso splendet, & Cyaneo Hyacintho:
A rmenysq; rubet, & purpureis Amethystis.
H as nulli claudunt uectes: non ferrea firmant
R obora; nec custos assistit limine Ianus.
H as portas Pax alma colit: Pax candida seruat:
A tq; ita uociferans supremo in limine fatur.
E ste procul uiles animæ: procul este profani:
I te procul: fœdumq; sacro de limine gressum
T ollite; & impuros procul hinc auertite uultus.
I psæ autem bifores portis bipatentibus astant
I ngentes ualuæ: tyrio quas murice tinctum
V estit Ebur: candent libyco circum omnia dente.
I llic docta manus cælesti numine ducta
I mmortale opus, & summi decora alta Parentis
F ecerat, & uario discreuerat argumento.
I n foribus portæ nitidos uergentis ad ortus,
H ic primum è nihilo Cælum, terramq; crearat

O mnipotens Pater, & Mundi genitalis origo.
H æc super immensi, & nunq; uariantis olympi
A ddiderat spatia, atq; æterni luminis oras;
F ulgentesq; domos Superum, Cælestia templa.
I ma autem pelagi circum fluitantibus undis
S qualebat tellus: gremiumq; gerebat inane.
I psa etiam undantis pelagi sine luce uorago
H orrebat tenebris super, & caligine cæca:
E t super obscuras uolitabat Spiritus undas.
E cce autem Patris imperio, qui cuncta gubernat,
I n tenebris Lux alma data est: fulsere repente
E t Maria, & Terræ: nitidusq; reducitur Aer:
E t Deus obscuro secreuit ab Aere lucem.
H ic etiam procul a terra diffusilis Aether
T ollitur, effusis stellatus crinibus Aether.
H unc inter stabili, & solida compagine nexæ
Q uinq; ierant zonæ. deuexo limite tractus
S ignifer obliquo ascensu duodena ferebat
S idera, diuersæ speciem uariantia formæ.
E nsifer Orion stricto mucrone mouebat
E xoriens pelagi fluctus. radiata notabant
C nosia Cretæam Bacchi monimenta puellam.
A mbibatq; polum flexo temone Bootes

P laustra regens, iuxtaq; Anguē splendescere credas
O ra Lycaoniæ labris sitientibus Vrsæ.
Q uæ subter remeans Phœbi radientis imago
A uratam Chlamydem, & bisseno sidere textam
I nduerat curru residens: quo fonte caloris
I nferiora leues animabant cuncta fauillæ.
H inc procul Astrorum decus, & Regina bicornis
S ublucet soror: & niueis Latonia bigis
S ubuehitur Cælo: & spatijs breuioribus usa
A emula fraternos certat præuertere cursus.
H ic etiam aerios populos, cæloq; dicatum
A ligerum genus, aut dulces inuisere nidos
F inxerat: aut tenui deducere carmina cantu.
I amq; pater liquidi discreuerat alta profundi:
C onfestim irrumpunt pelago fontesq;, lacusq;:
I nnumeriq; altis delapsi è montibus Amnes,
Q ueis umbrosa caput circum uelabat arundo.
Q uin etiam pelagi placide labentibus undis
P innigeræ innabant pecudes: ibi discolor indus
C andentes rubro relegebat in æquore Conchas.
T unc primum affusis grauidum caput extulit undis
O mniparens tellus: densisq; animalia siluis
C ondebat: tenerasq; illis pascentibus herbas

S ufficiens, flauis campos uestibat aristis:
P arte alia abrupti montes fœcunda metallis
V iscera fundebant: quos summo in uertice clara
C rystallo, atq; alijs ornata cacumina gemmis
O stentare procul tremulo fulgore decebat.
H ic uideas miro deuinctum pectus amore
A rtificem rerum, terrena effingere membra,
H umanosq; artus: animamq; infundere Terræ,
I mmortalem animam, perfectam, & labe carentem:
I licet inde solo emicuit (mirabile dictu)
P rimus homo, æterni decoratus imagine patris,
M entem, animumq; Deo similis: qui lumine cælum
L ustraret: patriumq; animo uersaret olympum.
C ui Rex ille hominum, totiusq; arbiter orbis,
Q uicquid habet tellus, quicquid mare, quicquid & aer,
S ubijcit: æternas leges, & fœdera seruet
P ræcipit: & proprios ortus in mente recondat.
N ec non & uarias soboles animantia terris
B ruta Dei iussu generatim in sæcla propagant.
N ec procul hinc terris fugiens Astræa relictis,
E xosa, heu, mortale genus, postq; impia tellus
E t monita, & magni liquit præcepta parentis.
C ernere erat iusta iaculantem fulmina dextra,

I ratumq; patrem Terris: genus omne perosum
D iluuio ingenti Tellurem effundere in undas.
S ed tamen humanos pietas miserata labores
S eruabatq; uirum Terris, ipsumq;, domumq;:
S olus ut humanæ reuocaret semina gentis:
Q ueis leges, & iura dabat: & fœdere certo
P ingebat Cælum pennis Thaumantias Iris.
H inc ope Diuina patrijs seruatus ab oris
A dstabat senior: Syrioq; ex hoste receptus
M onstratum carpebat iter, noua quærere regna,
E xternosq; lares. haud illo iustior usquam
I n Terris fuit, aut æqui obseruantior alter:
H inc Regi Regum carus: hinc nomine uerso
A ccepit signum fidei, Pater omnibus unus
Q ui mores, Patriamq; fidem, ritusq; tenerent.
I pse etiam ardenti radiatus tempora uultu
L egifer, antiquas leges, moremq; sacrorum
O re dabat: uiuos uultus, uiua ora putares.
I mplebat summas portæ aspectabilis oras
V erum induta hominem summi Patris unica proles,
V era patris soboles: Cælo demissa sereno
L ustrabat dulces hominis sub imagine Terras.
Q uin etiam effundens Diuino ex ore loquelas

P er medios populos, nec dedignata ſubire
T ecta hominum, prò quanta alti indulgentia Cæli,
I ura dabat: cultuq; nouo rude uulgus in omnem
F ormabat uitæ ſinceris artibus uſum.
P auperies illi semper comes: omnibus æqua
P auperies: nulliq; nocens: contentaq; paruo:
A t multis inuiſa eadem sub paupere tecto
O tia agit: uigili non fracta, nec anxia cura.
A t uerò in foribus cuſtos Erymanthidis Vrsæ
Q uas uidet, hic ſeptem Diuino ex ordine soles,
S eptenisq; tubis ingentia mœnia luſtrat
H ebræus Dučtor, uarijsq; exercitus armis.
V t primum ſacer increpuit super Aethera clangor,
E t xemplo ingentes procumbunt undiq; muri
S ponte ſua: latamq; ſolo trahit alta ruinam
V rbs, opibus quondam, & regnis dominata superbis.
C ollucent ignes: sequiturq; incendia fumus.
H aud procul inde altis pendentia poſtibus arma
P ugnantum decus: & ſeruantia tela cruorem:
C aptiuiq; Duces, submiſſaq; colla trahuntur.
Q uin etiam exacti Reges, belloq; subacti
A dduntur: uictorq; elatis cornibus ibat
I ordanes: iam ianq; ſinus, & flumina pandit.

M agnanimo subiecta Duci lætatur Idume:
P almiferumq; caput lætanti uertice nutat:
S acraq; odoratæ respondent nomina siluæ.
H unc iuxta pietate graues, uenerabile uulgus,
S emidei Heroes: per quos suprema Potestas
D efensum bello populum dedit: atq; superbo
S eruitio exemptos ad pristina regna reduxit.
I llum incedentem ferrato in prælia curru,
E t caua fœmineo transfixum tempora clauo
A spiceres. ruit ecce alius deuota parenti
E t nemora, & structas nemorosis collibus aras.
A tque alius uasti discerpens ora Leonis
V ictus amore cadit; gremioq; infusus amato
L ethiferam carpit per fortia membra quietem.
N on tamen ante illi durus sopor occupat artus,
Q uàm secum populi proceres, atque alta domorum
T ecta trahens, pœnas scelerato è sanguine sumat.
P arte alia ueterum series generosa parentum
I llustres animæ, atque alto à sanguine Reges,
Q ui Solymos fines, summo loca nota Tonanti,
B issenasq; Tribus longa ditione tenebant.
I lle Palæstinas gentes, Syriamq; potentem
E domuit: meritosq; tulit ex hoste triumphos.

I lle Parætonij peruenit ad oſtia Nili
D iues opum ante alios; & latis otia terris,
A ureáq; antiqui renouauit ſæcula mundi.
I lle etiam ex auro, cedróq;, & marmore templum
I nſtituit: lectósq; uiros de more ſacrauit.
P arte alia ſolymas arces, templumq; Tonantis
I nſtaurant: ferro, ac telis accincta Iuuentus
I ngentes reficit muros, & clauſtra, domosq;.
H ic demum sacrata tui cunabula regni
CHRIſte Pater, dictamq; tuo de nomine gentem
C æleſtes fecere manus: huc numine ſancto
G ens afflata ruit: merſare salubribus undis
S e cupit: & patrio transcribere nomina Cælo
I dem omnes ſacer ardor agit. primordia regni
P arua quidem: sed quæ totum iam sparſa per orbem
S olis & occaſus miretur, ſolis & ortus.
A c ueluti liquidos fontes, seu flumina propter
P aulatim aſſurgens, breuibus ſeſe explicat umbris,
P oſt tamen, hanc nullis hominum cogentibus, Arbos
I ngentes ramos, felicia brachia tendit:
M ulti illam Agricolæ, multæ cupiere uolucres.
T ertia sed tepidos Auſtri ſpirantis ad axes
I nſignit clauſtra, & niueis petit æthera pennis,

H umani generis clarum decus aurea uirgo.
O lli sidereus frontis decor, oráq; fulgent,
A mbrosiæq; comæ: placido reuerentia uultu
S pirat: & æternis frontem redimita corollis
C andida purpureo uelamina gestat amictu.
E oæ lucis semper comes, èdita luce,
H os Hortos colit illa decens sine crimine Diua.
N unc etiam in foribus, primoq; in limine læta,
E t mensam parat: & sacrum Cratera coronat.
H ic qui forte uelint sanctis discumbere mensis
I nuitat, dictisq; monet facunda uolentes.
O fortuunatæ gentes, si iussa uerenda
D iligerent: monitusq; Dei, queis summa salutis
N ititur, & puros mores sub pectore fixos
P erpetuum colerent: iamq; illos regia Cæli,
A eternumq; decus, et læto Gloria uultu
A cciperet cunctisq; malis, & morte carentes.
A t quà iam roseo præceps ruit Oceano Sol,
I n foribus Diuæ sæclis uentura futuris
D iuinum cælabat opus: æuoq; sequenti
P andebat mentem, summiq; arcana Parentis.
I psa uidebatur roseo pudibunda colore,
I nsignis pietate, & nulli cognita Virgo,

A tque eadem ante alias fortunatissima matres,
Q uæ tactus exosa uirum, tedasq; iugales,
I nstituit castæ iura intemerata iuuentæ
A eternum seruare, alta ad præsepia Gnatum
F undere: & in dias producere luminis oras:
N ullum passa uirum, nullos perpessa dolores:
Q uà Solymos fines felicibus alluit undis
I ordanes. Cernas pueri rutilantia longe
L umina, sacratasq; manus. iamq; ubera sugit
P aruulus: & matrem arridens cara oscula labris
I mprimit: & sanctis contrectans ubera palmis
E ducit dulces materno è lumine rores.
M iratur Gnatum genetrix haud inscia uirgo
I nsideat quantus gremio Deus: astupet ipsa
S acra domus: pronoq; inhiant Animalia uultu.
P arua loquor, stupet ipse oculus, & gloria mundi.
H æc inter tumidi late maris æquora tollunt
I nsani fluctus: Cælumq; aspergine rorant:
V ndisonum credas euerti è sedibus æquor:
I psa ratis Cælum scandit: nunc unda dehiscens
A bripit in præceps: timidis pallentia Nautis
O ccupat ora pauor: Diuosq; in uota uocare
E xtremus miseros subigit timor. inde salutis

A h nimium cupidi ſpumoſa in cærula Nautæ
D eturbant iuuenem inſontem, & nil tale merentem.
E cce autem immenſo ſinuoſa uolumina ponto
P romouet immanis Piſtrix; & guttura pandens,
H eu pietas, uaſto clamantem abſorbet hiatu.
T ris noctes, totidemq; dies summersus in antro
D elituit: poſt hunc eadem fera bellua ponti
E uomit: & Syria proiectum eructat arena.
E xtremis uerò in foribus, & margine in ipſo,
S epteni ex auro Lychni laquearibus altis
D ependent: flammasq; procul, & lumina fundunt.
I n medio uultumq; hominis, atque ora gerentem
E xtuderat: ueſtemq; imis illudere plantis:
A urea compreſſis subnectit cingula mammis.
C andida Cæſaries olli candentia circum
T empora, nec niueis niuibus ceſſura, nec albis
V elleribus: similem flammis radiantia uidi
L umina, sacratosq; pedes nitido Orichalco:
Q ui uelut excocti lucebant puriter igne.
V ox illi, qualem Oceani refluentibus undis
H erculeam Calpen longe exaudire putandum eſt.
N ecnon & septem flammantia ſidera dextra
C ontinet: ac rutilo mucronem ex ore coruſcat.

V ulnificium, ancipitem.facies ceu lucida solis
I rradiat, fulgetq; procul: quum flammeus Orbem
S ol coquit: & rapido perfundit cuncta uapore.
I lle etiam occasus æque moderatur, & ortus
N ascentum: tacitaq; orbem ratione gubernat.
I lle etiam mortem, mortisq; horrentia regna
T emperat: & tristem sine Sole, & sidere Mundum.
V t satis impleuit nostros ueneranda Vetustas
A spectus: facilesq; oculos per singula duxi:
T unc ego, quà primum terras aspergit Heous
I ngrediens, ternis dimensum partibus Hortum
I nuenio admirans, Hortum, sedesq; beatas.
I ngenti pars prima uiret lætissima silua;
C ui nunq; uiridesq; comæ, & uiridantia desunt
B rachia, & intonsis uiridantes frondibus umbræ,
V el quum sæuit hiems, uel nuda incanduit Aestas.
V mbriferum Cælo, ac stellis attollere certat
P alma caput: densisq; nemus circundare ramis.
H ic folijs spirat late, ac benecolentia circum
P oma gerit, fructu, & folijs gratissima Cedrus.
H ic quoque turgidulis frontem circundata baccis
I nnuba Laurus erat: quæ nullos fulminis ictus
S entit: & increpitans uicinos respuit ignes.

N ec procul hinc pingues Oleas frondescere uidi.
A ltera ridenti ſemper ueſtitur Acantho:
H ic Buxus, buxoq; uirens interſita Myrtus:
R araq; odorato ſudant apobalſama ligno;
T um Fruticum genus omne ſolo terra alma miniſtrat.
T ertia gemmantes diſtinctis floribus herbas
P ars habet: & dites Arabum ſine nomine meſſes:
Q uasq; legunt Cilices campis felicibus: & quas
D iues Oronteis depaſcitur incola ripis.
H ic Violis late circum candentibus albet
C ultus ager: Cœliq; refert ſtellantis honorem
N unc pictus niueis, nunc cæruleis Hyacinthis:
P urpureisq; Roſis Diuina rubescere culta
A ſpiceres: & plena nouo læta arua colore.
F ert Caſiam, floremq; ſimul ſpirantis Amomi:
C innamaq;, & medicas miſeris mortalibus herbas
S ummittit Tellus: cæleſti hæc nectare pascit
I lle ſator rerum: radijsq; tepentibus almus
S ol fouet; & puri permulcent Aetheris auræ.
H æc inter tremulis Zephyrus diſcurſibus errans
A era per liquidum gratos ſpirabat odores:
Q uos nec ab extremo Phœnix longæuus Hydaſpe
C olligit, annoſam cupiens abolere senectam:

Q *uos neq; thuriferis felix* Panchæus Arenis
C *onſpicit externas aliò traducere gentes.*
H *ic querulos inter nidos* Pandione *nata*
O *bſtrepit: & uariæ denſiſſima turba uolucres*
Q *uælibet acta ſuo magnum per inane uolatu*
M *ulcebat miſtis tenues concentibus auras.*

BASILII ZANCHI

DE HORTO SOPHIAE

LIBER SE-
CVNDVS.

EST Horti medio sublimis in aere sedes
P ræfulgens gemmis, rutiloq; extructa Pyropo:
C larior hinc Vitro, & pellucidula Crystallo
F ons fluit: & ternis mollissima gramina riuis
I rrigat; & uiuis fœcundat germina lymphis.
S tellanti solio, sed maiestate serena,
T ergeminus residet Rex: undiq; splendida lucet
F orma eadem, uestisq; eadem, consorsq; potestas:
L ux circum, & uarijs depicta coloribus Iris:
I nnumeriq; alij solium, sedemq; tremendam
C ircunstant famuli; quorum pars maxima centum
H inc atque hinc oculos, ardentiaq; ora ferebat.
I psius ante pedes uillis candentibus albo
D ecumbit, tyrioq; Agnus spectabilis ostro.
A c uelut Eoa perfusus Lucifer unda,
A strorumq; choros inter, atque agmina lucet:
S ic illi geminiq; pedes, & pectora lucent.

T *um septem ex auro radiantia cornua fronte*
E *rumpunt: septemq; oculi, ceu lucida solis*
L *umina, collustrant* Hortum, *sedesq; piorum:*
V *nde diem, noctemq; illic liquidissima* Cæli
T *empestas: & læta nouo loca lumine rident.*
I *llum omnes circumfusi uenerantur: & omnes*
S *uspiciunt; manibusq; piis contingere gaudent.*
H *ic ego felices animas, cœtusq; piorum,*
T *errarum decus, & quos nulla æquauerit ætas,*
A *spicio. pars hospitiis frondentibus altæ.*
A *ut* Lauri, *aut* Palmæ *gaudent uariantibus umbris.*
H *i uirides inter* Myrtos *spatiantur:* Achantus
H *os iuuat: & dulci redolentia* Balsama *ligno.*
A *st alii uarios flores uernantia circum*
P *rata legunt: fessumq; caput, & membra reclinant*
R *orantes inter gemmas, & mollia serta.*
D *umq; oculis, ac mente trahor: dum singula lustro;*
E *n clari noua forma* Viri, *mirusq; repente*
O *ccurrit, uultu, & lætanti uoce sacerdos,*
A *rgiuæ gentis sidus: cui lactea fandi*
F *lumina: & aurato deductum nomen ab ore.*
H *ic erat hic, doctæ cui iam plausistis* Athenæ,
A *ntiochiq; solum, &* Byzantia *littora, & omnis*

Bosphore,

B osphore, Threicioq; sonans late ora profundo.
I lle, indefessi dum circum machina mundi
S emper in occasum rapido uoluetur ab ortu,
V iuet; & æterni Chartis tribuentur honores.
I lle mihi egregias animas, ingentia facta,
A rtificesq; manus, ueterum monimenta uirorum,
E xpedyt: prensumq; manu circum omnia duxit,
A c primum, uiden aeriæ sub tegmine Palmæ
V t residet, quem Nympha olim propè flumina Nili
E didit: insignis gemino caua tempora cornu?
Q ui uultus: quantum egregia de fronte refulget
A etherium lumen: oculos fulgore micantes
A spice, & æterni certissima signa decoris.
H oc duce crudeles terras, post fortia facta,
P ost domitum signis Regem, Iudæa reliquit:
E xcussitq; iugum, atq; immitis frena Tyranni.
H ic & Erythræi iuncosa per æquora ponti
T ranstulit innumeras gentes: duram recessit
H inc atque hinc faciem in montis, mirabile uisu,
V nda fluens: medios fluctus, media æquora ductor
E uasit: siccaq; agmen consedit arena:
A t Pharios post terga duces simul unda relabens
I nuoluit, simul arma uirum, currusq; uolantes.

Q uid tibi res gestas, aut tot miracula rerum
C ommemorem? ut repetens sacri capita ardua Montis
A ccipiat solus legem: summiq; Tonantis
C olloquio, & clara per nubem luce fruatur.
V t liquidas dura è silice produxerit undas.
V t Crucis in morem palmasq;, & brachia tendens
I nuictos bello penitus disiecerit hostes.
Q uid loquar, ut dulcem Cælo deduxerit escam?
A ut ut succensos precibus restinxerit ignes?
Q uem iuxta armipotens Ductor, fidusq; minister,
C ui Pater undarum astrictis uada peruia lymphis
I ordanes, & sicca pedum uestigia cessit:
A d cuius iussum superi moderator Olympi
I usserit assuetos Solem requiescere cursus:
N octiuagamq; alto Phœben consistere Cælo.
A spice quem sterili genetrix grauis edidit aluo
E gregium Vatem: & populis pia iura ferentem.
N on illum argenti, atq; auri scelerata Cupido
C orrupit: sed plena Deo sua pectora seruans
E t Reges unxit primus: tonitruq; corusco
S ubiectum populum, & pugnaces terruit hostes.
I lle, uides? sacra redimitus tempora uita,
E gregiusq; animi, legisq; arcana requirens,

P ost longa exilia; & desertam ciuibus urbem,
B actraq;, & extructos decocto ex aggere muros
D eseruit: ciuesq; suos in regna reduxit
P ristina: & antiquas ædes, & templa refecit.
V is & præstantem eloquio, regnisq; superbum
Ç ernere, quem Syriumq; solum, & frondentis Idumes
A rua colunt? gremio acceptum Iordanis ad undam
H unc docuit Sophia; & cælestibus imbuit orsis.
N ec procul hinc Lauri intonsæ uiridante sub umbra
A pparet Vatum Chorus ingens: lumina uidi,
O raq;, & intentas ad sidera tollere palmas.
H os inter fuluo ex auro, gemmisq; Coronam
C onspicuam, ardentem, canentia tempora circum
G estabat Vates: pictoq; è murice Palla
D efluit ex humeris: placidoq; micantia uultu
L umina sustollens, digitisq; loquentibus aurea
D ulciter attrectans fila Testudinis aureæ,
A utorem pacis, Seruatoremq;, Deumq;
C oncelebrat: lacrimisq; rigat gaudentibus ora.
F elices populi, felicia tempora, uobis
A dueniet Cælo portans cælestia dona,
H umanamq; animam assumens, moribundaq; membra
I ndutus Deus, ille Deus: seseq; uidendam

M aiestas æterna dabit, sub paupere forma
O ccultans radios. Salue ò sanctissima Mater
S idetei Regina poli: tua uiscera replet
E grediens Patris è gremio, pariterq; recumbens:
Q ui Cælum, tractusq; maris, quiq; omnia replet:
Q uem Cælum, tractusq; maris, quemq; omnia nusq;
C omprendunt. Salue ò Cæli facunde minister
I ntactæ Diuina ferens mandata puellæ.
A nnuit illa: noua micuerunt luce penates:
C ælestisq; domum compleuit fulgor. ab alto
D escendens Deus, ecce Deus pia uiscera complet:
H umanosq; artus materno è sanguine sumit:
S anguine, quem non ulla Venus, non ulla Cupido
E licuit genitali aruo: uerum ipsa potestas
H umanos Diuina opifex formauit in artus.
F elix ò patria genetrix mea: iam tua ciuis
N omina, & æternos Cælo Rex altus honores
A equauit: magnumq; feres per sæcula nomen.
F ortunata domus, summi cunabula Regis,
I n quibus ille Author lucis Orientia primum
L umina, & ætherias primum puer hauriet auras.
F elix prole parens, felix mea uera propago:
C ui licuit sanctis infundere pabula labris:

T angere ſidereos uultus: atque oſcura ab ore
L ibauiſſe ſacro: pecora inter inertia natum
P onere, & agreſti ſupremum in ſtramine Regem,
S alue magne. Puer: lapſis ſuccurrere rebus
A duentus: merſosq; Erebo, & caligine tetra
A d uitam reuocare homines, ac lumina uitæ.
A duentuq; tuo terrarum millia multa
I nuiſit Pax alma polo delapſa ſereno.
I am tibi pacatum Cæleſtia mella per orbem
C andida pacati diffundant mœnia Mundi.
C ælicolumq; choros cerno, & fulgentia Cæli
A gmina, pennatumq; aciem omnipotententis Olympi.
E n choreas agitant: lætisq; per aera pennis
D iſcurrunt: laudesq;, & ouantia carmina dicunt.
I am uenit ætheria Mundi ſeruator ab arce,
Q ui Cælum Terris æterno fœdere iungat.
C uſtodes etiam pecoris ſub nocte ſilenti
I lluſtrat lux clara nouo fulgore coruſcans.
P aſtores mecum nati ad præſepia Regis
P ergite: communemq; oculis inuiſite Regem.
E n ego Sacratis genibus procumbere ſupplex
N il moror: en ſupplex ueſtigia pronus adoro.
H eu quæ nam aſpicio? teneras uix ſuſpicit Auras

C ælestis Puer, & summi regnator olympi:
E t tamen insonti perfundit sanguine ferrum:
D um legem subit: & Patris præcepta facessit.
I psa autem teneri genetrix pulcherrima Regis
N unc dolet: & tacito nunc pectore gaudia sentit:
Q uum uidet illustres longinquæ à Persidos oris
A duenisse uiros: parui quos splendida Gnati
S tella facem ducens alta ad magalia duxit.
E n tibi quæ triplicem longe testentur honorem
S ubmissi formosè puer tria munera promunt,
T hura simul, stactenq; simul, Auriq; talenta.
E n Gnatum Pater omnipotens tibi sistit ad aram
A lma parens: geminosq; tibi de more Columbos.
Q uid cessas longæue Senex pia pignora patris
C ernere? & optatam gremio excepisse salutem?
Q uantus io nostras fertur uagitus ad aures:
Q uid furis infandum Caput? impia funera pendes.
I nfantum: quos prima uelut surgentia carpis
L ilia, uel primos Terræ florentis honores.
T olle fuga puerum Mater pia: hoc Pater altus
I mperat: & Pharijs succede penatibus hospes.
T empus erit, quum læta domum, patriamq; reuisas.
A st ubi iam grandem bissena acceperit æstas;

A miſſum exquires genetrix mœſtiſſima Gnatum:
T ertia ſed poſtq̃; terris illuxerit Eos,
I nuenies proceres inter, populiq; magiſtros
S citantem: cariq; Patris opera alta docentem.
S alue Ammis, ſalue æthereiis celebrande Choreis
I ordanes: ſacrata tuis Rex altus Olympi
C orpora tingit aquis: totius uulnera Mundi
A bluit: & primi ſoluit cõmiſſa Parentis.
Q uid refugis dilecte Deo? quid ferre recuſas
S ancte miniſterium? medij ſpatia ardua Cæli
D iſcedunt: Cæloq́; leuis demiſſa Columba
I nſedit ſacro capiti: Pater ecce ſerena
F ulgentis de parte Poli longe intonat: unda
C ontremuit; ſuperas fertur uox miſſa per auras.
G nate mihi ante alios longe iucundior omnes,
D o tibi Terrarum, & Cæli inuiolabile numen.
F elices ſyluæ, fœlicia luſtra ferarum,
V obiſcum eſt magni proles Patris: ardua ſiluæ
I nclinant capita: & nutanti uertice adorant
Q uadraginta dies ieiunia longa ferentem.
E ccce inimicus atrox rerum nouitate tremiſcens
T entamenta petit: deuicto ex hoſte miniſtri
C œlicolæ exultant plaudentibus æthera pennis.

H inc Rex ille hominum bibuli prope littoris oram
I ncedens, Nautas, nodosáq; lina trahentes,
D electos Cœli Proceres, Mundiq; magistros
E sse dabit: Regisq; sui præcepta secuti
H umanos Diuina trahent in retia pisces.
O fortunati nimium, queis uertice montis,
A ut magni templo Patris, aut de puppe, Magistri
C ontigit & sanctas audire, & discere uoces:
D um placidus Diuina docet mandata Parentis:
H ortaturq;, monetq; pios: dunq; abdita sacris
V elat imaginibus: nulliq; audita priorum
I n medium largus profert: atq; ora resoluit.
F ortunatus & ille, Deum qui mira gerentem,
V elatumq; hominis facie, & mortalibus umbris
V idit: ut infusas sinu modo uerteret undas
V itigenum in laticem: plenis modo liba canistris
M ultiplicet: nunc squamigeros discumbere iussis
S ufficiat pisces: rapidis nunc ille procellis
I mperet; & tumidi domitor salis æquora uerbis
I ncrepet: & siccis insistat cærula plantis.
V tq; oculis capti claros Hyperionis orbes
A spiciant: & sparsa Polo uoluentia signa.
Q uid dicam, quum clauda uiris uestigia firmat:

V t facili greſſu incedant, & paſſibus æquis?
V el quum muta diu torpentis uincula linguæ
S oluit? & obſtructas aperit poſcentibus aures?
V t Cælo deiecta Erebi nigrantia monſtra
E xpulerit, feſſos hominum torquentia ſenſus?
V t uarijs demum languentia corpora morbis
I nſtauret caſus hominum miſeratus acerbos?
I am uideo ſummi fulgentem in uertice montis:
S plendescit facies: nitidum iubar aurea uincit:
I am ueſtis candore niues, candore nitentem
E xuperat lucem, & picti uaga ſidera Cæli:
A lloquiturq; uiros: radijs en lucida nubes
P rotegit ingenti ſtupefactos luminis igne.
E xultent Solymorum Arces: lætetur Idume:
I am uenit qui terga maris, quiq; Aetheris alti
M etitur ſpatia: & Terrarum continet orbem:
E cce uenit: tardi coſtis Rex altus Aſelli
I nſidet: Aerijs reſidens qui nubibus alte
F ulmineo inuehitur curru, & mortalia corda
T errificat, uenit ecce humilis inuiſere fines
T erra ingrata tuos, promiſſæ ingrata Salutis.
I te pij: placidoq; hilares occurrite Regi:
S ternite fronde uias: Pueri, innuptæq; Puellæ

C oncinite: & celebrate nouo gaudia cantu.
H ei mihi quid largo cælestia Lumina fletu
P erfundis bone Rex? ingratæ an funera gentis
M ens tua, & æternam longe uidet alta ruinam?
E cce mihi ante oculos mira obuersatur imago:
I lle super uasti retinens spatia ætheris undas,
Q ui maris iratos fluctus, quiq; æquora placat,
Q ui mare inexhaustum crescenti illidit arenæ,
I n peluim diffundit aquas: & candida circum
L ina gerens, Rex ille hominum, Rex ille Deorum,
S eruorumq; pedes lauat: & uestigia tergit.
M irantur superi Dominum: miratur & ipsa
S ubmissum natura parens: stupor alligat artus
S eruorum: stupet ante alios conterritus omnes
I pse Chori Princeps: tactusq; repente refugit
T anta ministeria: & deiectum ante ora Magistrum.
A st illos dulci fundens ex ore loquelas
I nstruit; & dictis mæstos solatur amicis.
E cce aliud longe maius: rerum ipse Creator
I n medio accumbens mensæ, mirabile dictu,
L argus opum, summiq; boni non inuidus unq̃,
C ælestes epulas, Diuini nectaris haustus,
I pse manu proprium pro Caris corpus Amicis

A pponit: Verum corpus sua uiscera præbet.
E xin plena suo Carchesia sanguine dextra
P orrigit: & Mundi precium bibit inscia Turba.
E cce autem sera egressum sub nocte secuti
S tant circum Comites: Torrentia flumina transit
I mpauidus, fidensq; animi: atq; Hortensia culta
I ngressus, sociosq; monet: tum popite flexo
P atrem orat: tædet mortis perferre dolorem.
A h dolor, Ah pietas, sacros tremor occupat artus:
S anguineæq; cadunt Diuino è corpore guttæ.
M ox tamen è Cælo stellatis Nuntius alis
A duolat: & mæstum pellit de corde timorem.
I nde alacer Patris imperio saua agmina contra
P rocedit, gaudens uictricem occumbere mortem.
V t primum fari cœpit, sæua agmina retro
L apsa cadunt, tanta est Regi inuiolata potestas.
Q uid referam infidos Comites? simulata Clientis
O scula? & innocui pretium exitiale cruoris?
H eu quæ nam aspicio? manibus post terga reuinctis,
C eu quondam rabidiue lupi, impastiue Leones,
I nsontem rapiunt: alij, pro numina sancta,
I nfandi ante ora Ducis; Regemq; superbum
A ddvcunt: dirisq; addunt ludibria uerbis.

H *eu dolor, heu lacrimæ, cælestia tempora duris*
C *onfigunt spinis: rorantia sanguine cernas*
T *empora: rorantesq; comas: rorantia colla:*
S *acratumq; caput scelerata illudit* Arundo.
P *rò scelus, ecce alij fulgentia lumina uittis*
I *mpediunt; pugnis fœdant(miserabile uisu)*
O *raq;, purpureasq; genas: nunc fœda nitentem*
C *oniciunt sputa in faciem. quò frontis honores,*
Q *uò radij cessere tui pulcherrime rerum?*
H *eu ubi siderei uultus? ubi dulcis imago?*
Q *uis ò quis nostras sonus illætabilis aures*
E *cce ferit? ruit ecce cohors accincta flagello:*
V *erberaq; insonuit: lacero de corpore sanguis*
V *bertim fluit: et roseo rubet aula cruore.*
Q *uis mihi nunc largis humectet lumina riuis?*
I *am uideo tacitos horrenda ad funera gressus,*
F *unereasq; trabes, et mollia terga prementes.*
C *urrite nunc mœstæ utroq; a cardine* Gentes:
A *spicite erecto suffixum robore* Regem,
Q *uo uitam daret æternam mortalibus ægris,*
T *errarum, et* Cœli Regem: *atq; indigna ferentem*
S *upplicia: et fixos dextra, læuaq; latrones.*
C *ernite perfossasq; manus: ueneranda trabali*

F ixa pedum clauo uestigia, cernite flexam
C eruicem, lentumq́; caput: labentia morte
L uminaq́;: appositumq́; atro cum felle Lyæum.
I am Patrem clamore uocat, lachrimisq; profusis:
I am fessum letho posuit caput: arida ceruix
D ependet: laceros artus frigentis, et ossa
I am numerare queas. Tuq́; ô fidissima Mater,
I nfelix mater, sanguis meus, aspice Gnatum
P endentem: notaq́; etiam te uoce uocantem:
P arcentemq́; reis: flentemq; incommoda nostra.
V os illam lectæ comites, uos sacra tenentem
R obora, transfossosq́; pedes, uos multa gementem,
C ollapsamq́; solo excipite: et coniungite luctus.
C ur terras nox atra tenet, densæq; tenebræ?
C ur textum radijs celas caput? unde repente
P hœbe tuos nigra inuoluis ferrugine uultus?
C ur refugis? medioq́; diem deperdis Olympo?
N ondum sera uehit nocturnus lumina uesper:
T ertia nec tardum sonuit caua buccina signum.
A n tibi curuato sese tulit obuia cornu
P lena soror? fuluoq́; comas obnubit amictu?
A n fugis immites contecto lumine terras,
D ira Mycenææ recolens conuiuia mensæ?

A n Domni obscuro testaris funera uultu,
E xequias pullo soluens adopertus amictu?
Q uid loquor? insolito concussa est maxima motu
T erra suis quatiens latas cum mœnibus Vrbes:
D issiliuntq; alto discissa è uertice saxa.
Q uin etiam motu circum quassante sepulchra
P anduntur: rursumq; piæ sua corpora sumunt
E xutæ uinclis Animæ: uelamina Templi
S cinduntur: meritusq; pauor ferit anxia corda.
E n etiam exuuias fixi custodia Regis
S ortitur: quassansq; caput conuicia iactat.
N ec satis, extinctum Regem, & iam luce carentem
I nuadit scelerata manus: fera lancea dextrum
T ransadigit latus: hinc(uisu mirabile)sanguis
E ffluit: & niueus commisto sanguine liquor.
A t uos insontes Animæ, fidissima Regi
P ectora, felices ambo, quos sidera Cæli
C erta manent, cunctisq; decus memorabile sæclis:
Q ueis Regem extinctum sacro deponere ligno
V erus Amor, uera & pietas, uera inclyta Virtus
M onstrauit. Vos depositi frigentia Regis
O raq;, languentesq; oculos concludere suasit.
V os etiam duro confixas robore palmas,

T ransfixosq; pedes patrio de more ligatis.
F ortunati ambo, presentia corpora uobis
A eterni Regis licuit decorare sepulchro:
E t lacrimis rorare pij crudelia Regis
V ulnera; & effusum membris siccare cruorem:
Q uin & sidonio deuinctum inuoluere lino
C orpus; & assyria conditum inspergere Myrrha.
S alue magne parens Mundi: qui sæcula solus
I nstauras: uitamq; pijs, promissáq; Cæli
R egna paras: nigramq; Erebo demittere mortem
M orte tua. Seruata tibi quæ dona rependet
G ens hominum? quas & laudes, & templa dicabit?
Q uis populus, quæ terra tuum non læta sepulchrum
I nuisèt? meritosq; Aris imponet honores?
N ota loquor, terrarum Orbis uenerande sepulchrum
R ex tibi semper erit: Orbis tua nomina ducet.
N ec tamen in mutum cinerem, squalentiáq; ossa
D issoluet mors atra tuum uenerabile corpus:
T ertia sed Cælo quum primum inuecta rubebit
A llatura diem superis Tithonia coniux,
E ffractos Ditis uectes, disiectaq; linquens
C laustra Erebi, superas uictor remeabis ad auras,
I mmortale tuum sumens sine pondere corpus.

I am noua candenti nituere crepuſcula Phœbo:
E xtulit et toto radiantia lumina Mundo
A ſtrorum Pater: inſolito uaga ſidera lapſu
E xercent choreas: felicibus aſſonat æther
C arminibus: & Dia nouos dant agmina cantus:
E t noua felicem pertentant gaudia Matrem.
A t ſocijs noua lux oculis clareſcere uiſa eſt,
V t primum clauſasq; fores, atq; inuia clauſtra
I ntrantem uidere nouo fulgore Magiſtrum.
D um dubitant, manifeſta ſuæ dat ſigna ſalutis:
O ſtenditq; manus, traiectaq; pectora ferro:
Q uin etiam appoſitum piſcem, & fragrantia mella
V eſcitur; & dictis titubantia pectora firmat.
T um demum egregio Diuinum Flamen ab ore
I nſpiratq;; aperitq; uiris uenientia sæcla:
E t Cæli reſerare fores, & claudere donat.
D icite iam Domino noua carmina dicite gentes,
F elices hominum gentes: iamq; ardua Cæli
R egna patent: patriumq; aperit Rex altus Olympũ.
N anq; quater denos ubi Sol induxerit ortus,
H umanosq; artus, humanaq; membra ferentem
C ernere erit ſuperas Regem conſcendere in Auras:
Q ualis io celſi ſacro de uertice montis

V i propria ætherias fertur sublimis in auras.
A lipedes circum superi comitantur euntem:
M irantur: gaudentq;; & dulcia carmina ludunt:
E t tuba felici resonat super æthera cantu.
N onne uides? liquido nebulæ contectus amictu
V ictor ouans, Cæloq; alacris inuectus aperto,
A scensu solisq; uias, & sidera tranat:
I gnotasq; homini sedes, Cælestia tecta
I ngreditur: superosq; alte transmissa uolentes
C ælestes Humana tenet natura recessus.
I nde alti Patris imperio fulgentia dextra
M embra locat, solio æternum spectabilis aureo.
A t socium generosa cohors uiduata Magistrum
S candentem liquidas Cæli suspectat in auras.
L ætatur tamen: & fixo per inania uultu
S ublatum sequitur: donec radiantis Olympi
E mensus spatia alta leues discessit in auras.
I nde domum sese referunt: promissaq; læti
E xpectant dona; & precibus promissa reposcunt:
R oscida puniceis quum primum Aurora quadrigis
Q uinquaginta leues Cælo confecerit orbes.
T alia ueridico fundebat pectore Vates:
I lle canit: resonis respondet uocibus Echo:

E t lætos circum ingeminant sacra agmina plausus.
P ost hinc digressus, qua uersicoloribus arua
P lena rosis, uernosq; interstrepit aura colores,
C oncilia Heroum gaudens, Cœtusq; beatos
O stendit, claros pietate, ac legibus acres:
Q ui leges Mundo posuere, atq; inclyta iura
G entibus: & totum uictricia signa per orbem
T ollentes, præcepta sui docuere Magistri,
P ost missum è Cælo Flamen, promissaq; dona:
P ost Auræ ætherios Diuini muneris ignes.
H os, inquit, Rex ille alti fabricator Olympi
O mnipotens CHRISTVS bissena in sede locabit:
E t dabit innumeras secum discernere gentes:
Q uum Cælo adueniens Superum comitante caterua,
E ffulgens late, Patrioq; ardore coruscus,
E xuret labem infectam, & mortalia membra:
Q uum terras, camposq; maris, Cælumq; profundum
E xterrens uox missa polo Diuina Tubarum;
E xcibit cineres, & corpora luce carentum:
H umanumq; genus solio spectandus ab alto,
Q uattuor à uentis secreta in ualle locatum,
D iscernet. scelerata Cohors, atq; impia Turba,
A eternum infelix æterna incendia pascet.

C ontra autem queis cura poli, qui iussa sequuntur
CHRIste tua, æternis indeficientia sæclis
R egna dabis: tecum & patrijs discumbere mensis.
Q uæ postq; edocuit cælesti ex ore Sacerdos,
T unc ego suppliciter passis ad sidera palmis.
OMnipotens Genitor, rerum cui firma potestas
C uncta supercilio torquens, quas soluere grates
E ualeam? quæ digna satis tibi uota rependam?
Q ui me tot pelagi iactatum agitantibus undis,
E rrantemq; domo procul, atque ignota petentem,
N on expectato subducere carbasa portu
D as Pater, & dulci fessum considere Terra,
Q uòd si quis nostris precibus locus, annue uotis
R ex Superum; & facilem præbe uenerantibus aurē:
H ic mihi quod superest æui, quodcunq; relictū est,
D a Pater exigere, & dulcem traducere uitam;
M olliter ut campis felicibus ossa quiescant,
E t quum summa dies Animum de carcere cæco
S oluerit, & fessos animæ subduxerit artus,
S tellantes Hortos superum, Cælestia culta
A ntiquæ Patriæ aspiciam, Cœtusq; perennes:
Q uos Patria æternum pollens sapientia luce
P erfundit CHRIstus; manifesto & lumine pascit:

D unq; illi uultu non exsaturantur amato,
A Eternisq; bonis, æterna & pace fruuntur.

FINIS.

Emptor si quid habet uiti hic Libellus
Et ZANCHI *modo conditus Minerua,*
Et Bladi modo pressus officina,
Nil magnum: nihil est quod extimescas:
Peccat nescio quid leue, ac pusillum.
Quod peccat tamen hac tibi in Tabella
Monstrat: ne redhibendus esse possit:
Neu fidem illius uspiam requiras.

Errata animaduersione digna sic corrige.

A	iij	pag. ij.		Versu.	xvi.	grandem natu
B	i	p.	i.	V.	i.	Quid? quod
	ij.	p.	i.	V.	xij.	ad septimum
D	iij.	p.	i.	V.	xv.	conuicta est.
F	Viij.	p.	ij.	V.	Vij.	Ingentes scalæ: gradibusq; ad limina centum
G	i.	p.	i.	V.	i.	Chrysolithi

G ij.	p.	i.	V.	xij.	Aligerum genus,
iij.	p.	ij.	V.	xiiij.	Extemplo
vij.	p.	i.	V.	iiij.	Opobalſama
H. v.	p.	ij.	V.	i.	nouo noua

Apud Antonium Bladum Aſulanum
Romæ Cal. septemb.
M. D. XLVIII.

I iij



